
Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVII
D
48
NAPOLI

LVII
D.
48.

Digitized by Google



RERVM MORVMQVE IN REGNO CHINENSI MAXIME NOTABILIVM HISTORIA

Ex ipſis Chinenſium libris & Religioſorum, qui in illo primi fuerunt literis ac relatione concinnata.

Item PP. Auguſtinianorum & Franciſcanorum in illud ingreſſus.

PER

R. P. M. IOANNEM GONZALEZ DE MENDOSA

ORDINIS EREMITARUM S. P. AUGUSTINI

Opus Regibus, Principibus, Prælatis, Iudicibus, Magiſtratibus, Hiſtoricis, Concionatoribus utile juxtà & jucundum.

Ex Hiſpanica lingua in Latinam tranſtulit

F. IOACHIMVS BRVLIVS

EIVSDEM ORDINIS RELIGIOSVS.



ANTVERPIÆ,

Apud Viduam & Hæredes FRANCISCI FICKAERT, ſub Turri D. Virginis, ad inſigne Angeli Aurei. 1655.

F. IOACHIMVS BRVLIVS BENEVOLO LECTORI.

RErum in Peruviæ regno per Auguſtinianos egregiè geſtarum non tãtùm hiſtoriam, verùm etiam de Peruanorum origine, moribus, regimine, Religione tractatum ſatis uberè nuper edidimus: nunc quidquid de Chinæ regno, & rebus in eo per Auguſtinianos geſtis, deque regni eiuſdem ſtatu ante Tartarorum nuperam invaſionem, ſcitu dignum aſſequi potuimus, publici juris, præli beneficio, facimus. Et quia luculentam præfatorũ notitiam nobis ſubminiſtravit induſtriũ opus R.P. Ioan. Gonzales de Mendoza, nihil ſtudio noſtro aut labore iſti operi ſuperaddendum eſſe judicavimus præter ſolam Hiſpanæ (quâ vulgatum erat) lin-

guæ in Latinam verſionem. Bipartitam autem hiſtoriã exhibemus: cujus prima quidem pars, Regni, eius terminorum, Religionis, morum, regiminis, &c. deſcriptionem cõtinet. Secunda verò PP. Auguſtinianorum ac Franciſcanorum in Chinam primum ingreſſum, quæque ibi miranda pariter ac curioſa viderunt, explicat. Ob variam porro utriuſque Partis materiam, Lectoris commodo, ſubdiviſa eſt Pars prima in tres libros, quorum prior de Regni Chinenſis naturali diſpoſitione, ſecundus de Religione, tertius de ſtatu politico tractat. Altera verò Pars in duos libros diſtributa eſt. Prior de introitu Auguſtinianorum rebuſque per eos in China geſtis; poſterior de Franciſcanorum in dictum Regnum adventu, actiſque ibidem diſcurrit.

Errata, ſi quæ per incuriam irrepſerint, non difficulter prudens Lectoris judicium caſtigabit.

PARS

PARS PRIMA HISTORIÆ MAGNI REGNI CHINENSIS.

LIBER PRIMVS.

Continens res notabiles illius Regni, quantum ad naturalem diſpoſitionem ſpectant.

CAPVT I.

Deſcriptio Regni & adſignatio terminorum illius.

1. CLaram veramque illius Regni, cuius exequi hiſtoriam aggredimur, notitiam nobis ab annis retrò decem dederunt Hiſpani, qui Inſulas Philippinas trecentis ab illo miliaribus remotas incolere cœperunt. Tametſi enim Luſitani *Macaonij* (a) habitantes, qui in civitatem ipſius Regni Chinenſis, *Canton* dictam, negotiationis ergô fre-

(a) *Macao*

quen-

quenter navigabant, quædam de illo publicare tentaverint, multis tamen & varietatibus & contrarietatibus, quòd ex ſola aliorum relatione dicerentur, fuerunt obnoxia, donec tãdem anno M.D.LXXVII. P. Martinus de Herrada PP. Auguſtinianorum, qui Inſularum Philippinarum incolas primi ad fidem Catholicam & Baptiſma perduxerunt, Præfectus Provincialis, P. Hieronymus Marin, Petrus Sarmiento ſupremus Iudex Manilæ, & Michaël de Loarcha pio Guidonis de Labaſſares dictarum Philippinarum Pręfecti ſtudio in Chinæ Regnum penetrârunt *Omoncone* (a) Chinenſi Centurione duce, non obſtante mortis pœnâ legibus patrijs ſeveriſſimè ingredientibus, introducentibuſque conſtitutâ. Honorem obſequiaque illis delata, aliaque admodum rara, ſecunda Pars huius Hiſtoriæ prolixè narrabit, prout ad Philippum II. Regem Catholicum fuerunt miſſa.

2. Regnum porrò Chinæ in extremo Oriente ſitum, ab Occidente Regno *Quachinchina*, quod ab illo moribus & ritibus non differt, jungitur: magnam ejus partem alluit Oceanus Eous, ab Inſula nimirum *Aynan Quachinchinæ* proxima totum eius Orientale & Meridionale latus cingens. Poſt *Quachinchinam* verſus Septentrionem Bragmanni ſequuntur, gens uti multitudine, auro, argento, gemmis, maximeque carbunculis,

(a) *Omonsou.*

quo-

([a]) quorum non eſt numerus, abundans; ita ſuperba, audax, fuſca, robuſta; rara tamen illi cum Chinenſibus bella, quod altiſſimis montibus ab invicem ſeparentur, fuêre His confine eſt Regnum *Patan* & *Mogor* maximum bellicoſiſſimumque, cuius caput eſt magna *Samarzan*: Illius incolæ meriſſimi Scytæ ſunt & Meſſagetæ à nullo unquam Rege domiti. Corpora habent vegeta, proportionata, &, quia regiones incolunt frigidas, candida. Ab Occidente in Auſtrum declinando *Trapobana* ſeu *Samatra* occurrit Regnum, auro, gemmiſque ditiſſimum. Magis Auſtrales ſunt duæ *Iavæ*, Major & Minor, ac Regnum quod *Lechios* dicunt. Nulli tamen Chinenſibus propinquiores ſunt quàm Tartari, immani ſolùm muro, de quo infrà ([b]) dicetur, ab illis ſeparati. Sæpiſſimè Chinenſes bellis infeſtârunt, & eorum dominati ſunt annis nonaginta tribus, donec à Chinenſibus jugi pertæſis ejicerentur. Inpræſentiarum amici feruntur, adjuvantibus ad id non parum paganiſmi ritibus & cæremonijs utrobique ſimilibus: Politicis tamen legibus, quarum excellentiâ multum exceduntur à Chinenſibus, diſcrepant: item quòd Tartari rubicundiores ſunt minuſque candidi: quòd ab umbilico ſurſum nudi incedant; quod crudis carnibus veſcantur, & ſcaturiente ex ijs ſanguine ad roboranda amplius corpora ſe ungant, ideoque adeò fiunt puti-

(a) *Rubies.* (b) *Cap. 9. huius Libri.*

di, ut flante vento ad longam diſtantiam fœtor deferatur. Animę immortalitatem habent indubitatam: illo tamen errore, quòd trãſire illas credant de corpore in corpus, pro qualitate prioris vitæ in melius vel deterius. Tartarorum filij ad amuſſim mandatis parentum obtemperant; ſeveræ, publicæque caſtigationis metu, ſi obluctentur. Vnum credunt, coluntque Deum, quem in ſingulis habent ædibus, aut ſculptum aut pictum; cui quotidie thus aliúdve thimiamatis genus incendunt. Hunc Deum Altum appellant, precanturque ut illis intellectum bonum & ſanitatem tribuat. Præter hunc alium quoque in unaquaque domo ſervant, quem ſuperioris filium dicunt *Natigay* nomine, putantque terrenis rebus pręſidere. Illius faciem, quotieſcumque cibum ſumpturi ſunt, eſculento pinguiori illinunt, hoc ritu ſuam illi ex cibis portionem attribuendo. Raró, ne quidem ad vitæ periculum evadendum, mentiuntur. Regi promptiſſimè obediunt, maximeque in bello, in quo ſuum quiſque munus ad tubæ aut tympani ſignum diligentiſſimè exequitur, nullâ Tribunorum aut Centurionum difficultate, ſed pronâ ad obedientiam & arma conſuetudine, cui ab incunabulis aſſueverunt. Sunt rurſum multa in quibus Tartari cum Chinenſibus conveniunt: ut credibile ſit, ſi hi fidem Iesu Christi admittant, illos utpote dociles

ciles & ad imitationem Chinenſium proclives, ſecuturos.

CAPVT II.

Regni Chinenſis temperies.

NOn unam eſſe tam vaſti Regni temperiem, ipſa eius latitudo, qua à decimo-nono altitudinis ſeptentrionalis gradu, in quo illi Inſula *Aynan*, ſeu *Aynaon* finitima eſt, ad quinquageſimum & ultrà versùs Arcticum procurrit, ſatis ſuperque convincit: cui opitulatur varius incolarum color, qui à Luſitanis, qui *Macao* ſuâ jam vetere coloniâ negotiatum *Cantonem* (a) ingentem Chinæ civitatem veniunt, in mercatoribus ex diverſis Regni partibus illuc allabentibus fuit notatus. Qui in dicta civitate *Canton*, finitimiſque terris oriuntur fuſci ſunt, incolis Barbariæ Africanæ & Regni *Fez*, cum quibus eandem habent latitudinem, non abſimiles, in aliis Provinciis candidiores, ſuâ tamen etiam differentiâ, prout minùs magiſque ab Æquinoctiali in frigidiores regiones recedunt: propterèà nonnulli Hiſpanos colore imitantur, alij Germanos, flavos rubicundoſque. Generatim cum tota penè China ſit in zona temperata, neque frigoris, neque caloris exceſſui eſt obnoxia. Hinc pronum eſt eius conjicere fertilitatem, quam & aliunde juvari neceſſe

(a) Canton

 eſt,

eſt, eâ namque omnes totius noti mundi regiones, Peruviam quoque Novamque Hiſpaniam, quæ fœcundiſſimæ creditæ ſunt, excedit, ut prolixiùs capite proximo dicemus: P. Martinum de Herrada Auguſtiniani Ordinis Provincialem Præfectum, eiuſque ſocium P. Hieronimum Marin, quòd teſtes ſint oculati fideique indubitatæ, in majori hujus Hiſtoriæ parte ſecuturi. Non exiguum fœcunditatis argumentum eſt incredibilis puerornm puellarumque (a) numerus, ut videri alicui poſſent quot-menſibus matres parere, facit tamen fertilitas terræ, quaſi cum fœminarum fœcunditate certaret, quartò annuatim fructus producentis, ut exiguo omnia pretio & velut nihilo væneant.

CAPVT III.

Regni fertilitas & fructus.

1. PVtant nonnulli primos illius Regni incolas & conditores fuiſſe Noëmi nepotes, qui ex Armenia, in quam imminutis diluvij aquis, arca, quâ Deus ſalvaverat humanum genus, declinaverat, ſedes ſibi commodas quærentes, non invenerunt terram huic aut fertilitate, aut aëris temperie comparandam, ideoque

(a) *Sunt tam illi quàm hæ in infantia ſua formoſi ad admirationem.*

ideoque illam colere cœperunt, abundantiâ fructuum conceptam antè opinionem roborante, ut ne hoc quidem tempore pœnitere illos debeat electionis Majorum. Fundi benignitatem copioſiorem reddunt incolarum labor & induſtria, quibus ad fructuum productionem urgentur planities, valles, montes, flumina. Labores, ſecuritas fruendi rebus ſuis, & multitudo operantium conſumentiumque dulciores reddunt. Adiuvat otioſorum non tantùm deteſtatio, ſed pœna inſuper ſeveræ caſtigationis infamiæque. Regno præterea ſuo omnes continentur præciſâ egrediendi ex eo licentiâ: abeſt bellum, truculenta hominum laniena: inſitum tandem genti delitiarum in cibo & potu, ſplẽdoris in veſtibus, & ſuppellectile, ornatus in ædibus, deſiderium, quo certatim incitantur, animat ad labores & quæſtus, quibus ſubſidiis nihil mirum ſi fertilis per ſe terra fiat fertiliſsima, ſuperetque reliquas totius mundi. Gignit omnes herbarum & fructuum, quas in Hiſpania cognoſcimus, ſpecies, & plures alias nobis hactenus ignotas, atque omnes ſapore, ut aiunt, excellentiſsimo. Poma Aſſyria (vulgò aurea) in triplici profert differentia, quædam dulcem, quædam acidulum, ſed gratiſsimum guſtui ſaporem habent, tertia medium ſeu acri-dulcem. Eſt & prunorum genus ſapidiſsimorum, quæ quantâcumque edantur quantitate

neque

neque faſtidium adferunt,neque damnum. Melonibus abundat ſapore & magnitudine præſtantiſsimis. Invenias etiam poma cinericij coloris ingentia & guſtui acceptiſsima. Taceo cæteros illius Regni fructus, eorumque nomina, ne & tædium lectori pariam, & impendam infructuosè tempus majoris momenti rebus debitum.

2. Saccari is eſt proventus, ut quintale candidiſsimi ſex regalibus noſtratibus vt cariſsimè vendatur. Chinenſes apibus ſtudent, ideoque non mellis minor quàm ceræ eſt copia, quâ non naves modò, ſed integras replent claſſes. Sericum colligunt optimum abundantiſsimumque, quod exquiſitis tingunt coloribus,qui Granatenſibus multo ſunt præſtantiores. Holoſericum, damaſcenum, byſſinum, (a) tafetanum, aliæque telæ pretio venduntur ad Europæorum ſtuporem exiguo, non ad menſuram,ſed pondus, minori fraudi obnoxium. Linum lætiſsimè provenit,ordinarius plebæorum veſtitus: cannabe ad obturandas navium rimas,ad funes & rudentes utuntur: ex terris ſiccis, duris, petroſis goſsipium habent copioſum. Triticum, frumentum, hordeum, avenam, aliaque granorum genera ſeminant plurima, metuntque ingenti, ſed innocente fœnore. Humidæ terræ inundatæque, quales ob magnorum fluminum frequentiam pluri-

(a) Du ſatin.

mæ

mæ ſunt, orizam, commune Chinenſium finitimorumque alimentum, miniſtrant eâ fœcunditate, ut regalis unus ſit ſummum integri modij (a) in caritate pretium: dictorum granorum tres quatuorve quotannis meſſes colliguntur. Prærupta aliaque ad ſementem inepta loca pini occupant caſtaneæque, fructuum bonitate & magnitudine Europæas ſuperante. His etiam ne terræ palmus unus linquatur infrugifer, maizium, notum Mexicanis & Peruanis nutrimentum, interſerunt.

CAPVT IV.

Præcedentis materiæ proſecutio.

1. VTilem illam Regni fœcunditatem, formoſiſſimam jucundiſſimamque faciunt flores non minus odore grati, quàm colore & formâ varij, plantatæ ex arte arbores, copia fluviorum, quorum ripas horti & ſtructæ ad recreationem ædes (ſunt namque oblectamentorum ſtudioſiſſimi) veſtiunt. Potentiores ingentes plantant ſylvas & replent arboribus montes, ad latibula ferarum & nutrimentum, ſoliti in illas immittere apros, cervos, damas, lepores, cuniculos, aliaque animalia, quorum pelles egregiè

(a) *Hanega.*

præparant ad veſtium fulcimenta. Muſci odoriferi magnam habent copiam : eam ex animalculis gliris magnitudine, quæ non niſi radice optimè olente (ipſi *camarus* appellant, habetque digiti groſsitiem) veſcuntur, conficiunt hoc modo: capta fuſtigant, donec oſſa comminuant & occidant, deinde ligatis arctiſsimè partibus, per quas ſtillare ſanguis poſſet, in locis, quæ promptiori ad corrumpendum qualitate pollent, reponunt; corrupta reſumunt ſecantque cum ipſa ſimul pellicula in partes, quas exiguis vidulis, quæ *papos* Luſitani dicunt, incluſas vendunt. Nec ullus præſtantior ex India muſcus adfertur, niſi eum mercatorum, qui ad augendum pondus plumbi ramenta miſcere ſolent, avaritia corruperit.

2. Aliis prætereà carnibus abundant, ut vaccam pinguem octo emant regalibus, bubalum quatuor, cervum integrum duobus : porcina caro vervecinæ Hiſpanicæ bonitate & ſanitate comparanda; caprina, aliæque comeſtibiles nullò ferè, præ numero, pretio diſtrahuntur. Tanta item eſt altilium in lacubus & fluviis, maximè anatum, cujus cauſam ſpeciali dicemus capite (a) abundantia, ut in mediocri ciuitate multa quotidie millena conſumantur. Pondere venduntur uti & capones gallinæque, ac pretio admodum exili, duæ videlicet libræ carnis eorum depluma-

(a) *Lib. 3. huius partis cap. 22.*

tæ

tæ ordinariè non ampliùs duobus *ſoys*, quod pecuniæ genus eſt Quartis Hiſpanicis valore correſpondens: duæ item libræ carnis porcinæ ſeſqui-*ſoy*. Eſtque proportionata cæterorum ciborum æſtimatio, ut manifeſtè conſtat ex cathalogo à PP. Auguſtinianis conſcripto.

3. Herbas quoque medicas miniſtrat copiosè, rhabarbarum optimum, lignum *China* dictum, nuces myriſticas, quibus integras onerare claſſes potis eſt; unus regalis pretium eſt quadringentarum: medius verò ſex librarum caryophillorum: nec majus eſt piperis pretium: cinannomi arrobam (a) quatuor regales, nonnunquam pauciores, obtinent. Omitto herbas medicas, aliterque humanæ vitæ opportunas ac utiles plurimas, quòd ſciam eas earùmque virtutes non arctiùs quam integro volumine deſcribi poſſe. Piſces omnis generis ſuppeditat ad ſtuporem numeroſos, non tantùm in locis maritimis, ſed & in remotiſsimis Provinciis, multitudine fluviorum eos commodè quòcumque diſpenſante.

4. Auri quoque, argenti, aliorùmque metallorum dives eſt venis. Cupri, ferri, chalibis quintale octo datur regalibus: auri multò minor quàm in Europa eſt æſtimatio, ſed argenti major. Lapides pretioſi toto ſunt Regno frequentiſsimi, quamquam non in ple-

(a) *Arroba Hiſpanis menſura genus eſt.*

nam rotunditatem à natura efformati.

5. Atque hæc adferre placuit, quaſi quædam fœcunditatis & bonitatis terræ Chinenſis veſtigia, ut minimè in electione erraſſe dicendi ſint primi eius incolæ, & moderni poſſeſsione optimæ mundi partis reputentur fortunati.

CAPVT V.

Regni antiquitas.

1. ORiginem hujus Regni ab ipſis Noë nepotibus quoſdam repetere ſuprà inſinuatum eſt. (a) Hiſtoriæ tamen Chinenſes non altiùs quàm à primo ejus Rege *Vitey* deducunt imperii formam, quæ longis ſæculorum flexibus extracta in hodierno etiam-num Rege perſeverat; (ut poſteà memorabimus) (b) numerantque ab exordio ad præſens uſque tempus ſeu Reges legitimos ſeu tyrannos ducentos quadraginta-tres. Parentibus filii ſuccedunt; horum defectu is qui ſanguine propinquior: uxorum nihilominùs, quas eo, quo volunt, numero habent, multitudine fit, ut rarò deſit, qui ſuccedat, filius. Primum ad Regni hæreditatem jus habet, qui primò ex quacumque uxore naſcitur: cæteris ſuas Rex pater civitates adſcribit, in quibus conformia nativitati alimenta præbentur, alun-

(a) *Cap.* 3. (b) *Lib.* 3. *Cap.* 1.

tur

tur tamẽ in conſuetudinem privatorum. Ex his egredi aut Regis injuſſu ad aulam accedere illis capitale eſt: eâdem ſeveritate omnes Regis conſanguinei continentur, qui pro majori parte in civitate, cui *Canſi* nomen, morantur. Si quis ex illis Regi aut Concilio animo ferocior promptiorve ingenio videatur, ne ſeditionis captet occaſiones, perpetuo, ne ex propriis ædibus excedat, præcepto luere cogitur naturæ beneficium.

2. Principum illorum ædes ampliſſimæ ſunt ad oblectamenta ex compoſito paratæ, ut, quæ foris quærere prohibentur, domi inveniant. Hortos, pomaria, ſtagna piſcibus, ſylvas volatilibus aliiſque ad venationem animalibus repletas murali ambitu cinctas habent, quæ externarum venationum amœnitatumque deſideria excludant. Mediocris civitatis ſpeciem quælibet iſtarum domorum repræſentat. Muſicæ ut maximè Principes iſti ſtudẽt & recreationibus: ſuntque ordinariè obeſi, placidi, affabiles & liberales peregrinis. Præfectis civitatum incumbit, quâlibet illos feſtivitate viſitare, remiſſo etiam officii, quod gerunt, faſtu: ideoque ædium portas tranſeuntes, ſi equo vehantur aut ferantur ſede, in ſilentio deſcendunt. Et ut ignorantiæ excuſationem excludant, illorum portæ rubro colore tinguntur. Tantâ Præfectorum venera-

tione, tot delitiis , tam longâ atque ab ineunte ætate conſuetudine deliniti meriſsimæ ſervitutis faſtidium vertunt in recreationis augmentum.

CAPVT VI.

Regni magnitudo & uſitatæ in illo itinerum menſurationes.

1. IMmenſum illud Regnum , quod nos Chinam appellamus incertâ ejus vocabuli origine & cauſâ, finitimi *Sangley* dicunt, ipſi autem incolæ ſuâ linguâ *Taybinco* , quod non aliud ſignificat quàm regnum. Nullum hactenus in noſtram notitiam venit illi aut magnitudine aut populi frequentiâ comparandum, ut manifeſtè hæc monſtrat hiſtoria , ſpeciatim verò quod proximè ſequitur caput ex ipſo Chinenſium libro, in quo prolixè Regni ſui magnitudinem & quindecim Provinciarum tractant, deſumptum. Hunc librum Manilam allatum in linguam Hiſpanicam tranſtulerunt interpretes Chinâ oriundi , qui baptizati, ut ſeveritatem pœnæ capitalis legibus Regni aliam legẽ aut fidem ſine Regis & Concilii licentia ſuſcipientibus conſtitutæ & inviolabiliter obſervatæ evaderent, tutiuſque, quæ leges docent Evangelicæ, exequerentur, ſedes in Inſulis Philippinis, de-

ſertâ

ſertâ pro Chriſti amore patriâ, fixerunt.

2. Integrum porrò Regnum prout Provincias quindecim, civitates omnes pagoſque comprehendit, ambitu ſuo ſexageſies-novies mille quingenta & ſexdecim (a) *die* (quæ ad menſuram Hiſpanicam reducta circiter ter mille leucas conſtituunt) complectitur, latum autem leucas mille octingentas.

3. Tribus utuntur itinerum menſuris, quas ſuo idiomate LII. *Pu*, *Icham* dicunt, quaſi ſtadium, miliare, dietam. LII. tantum ſpatium, quantum in terra plana ſereno & quieto die vox hominis totis viribus clamantis permeare poteſt, comprehendit. Decem LII. faciunt unum *Pu*, id eſt, leucam Hiſpanicam magnam. Ex decem *Pu* conſurgit *Icham*, id eſt duodecim leucarum dieta. Quo menſurandi modo numerum ſupradictarum leucarum aſsignamus, quam etſi aliqui augent ſequi tamen maluimus R. P. Martini de Herrada Ordinis Auguſtiniani in Inſulis Philippinis Prioris-Provincialis Geometri & Coſmographi inſignis accuratum ex ipſis Chinenſium deſcriptionibus computum, qui ſupradictas ambitus & latitudinis leucas evincit, incipiendo ab *Olam* Provincia ad Auſtrum ſita & Malacæ maximè propinqua, ac progrediendo in Boream, ubi à Septentrione verſus Orientem ſexcentis ampliùs leucis Regni Chinenſis termini procurrunt. *(a) 69516.*

CA-

CAPVT VII.

De quindecim Regni Provinciis.

1. TOtum Regnum in quindecim dividitur Provincias, quarum quælibet maximum, quod in Europa novimus, regnum magnitudine vincit. Aliquæ ex illis à præcipua nomen ſortiuntur civitate, in qua Pro-reges illorum linguâ *Cochin* dicti, reſidere ſolent. Duas Provincias *Tolanchia* & *Paguia*, in quarum alterutra ſemper Rex moratur, ipſe per ſe & Concilium regit. Sunt illæ præ cæteris populoſiſsimæ: non illa tamen aut præſentiæ Regis immediati regiminis eſt cauſa, non ipſarum amenitas aut delitiæ, ſed Tartarorum, cum quibus continuis penè bellis olim Chinenſes conflictabantur, vicinitas: quâ fit, ut & facilius defendere Regnum & offendere inimicum poſsit. Hæ cauſæ Regias in illis ſedes fixere olim, perpetuò, ut vero-ſimilius eſt, permanſuras, promerentibus id & aëris temperie & abundantiâ frugum. Provinciarum nomina ſunt *Paguia*, *Canton*, *Foquiem*, *Olam*, *Cyncay*, *Siſuam*, *Tolanchia*, *Canſay*, *Oquiam*, *Aucheo*, *Honam*, *Xanthon*, *Quichen*, *Chequeam*, *Suſuam*,

Omnes Provincias, maximeq́ue decem maritimas pro-

profundi fluvij aquæ dulcis & navigabiles incidunt, quarum ripas plurimæ civitates & oppida venuſtant. Nec difficile eſſet omnium hîc non ſolum numerum ſed & nomina exprimere, curioſitate Chinenſium in ſuis libris minima quæque ad ipſas uſque domos ad oblectamenta ſtructas annotante. Verùm ne ignotorum nominum accumulatione & inutiliter hiſtoriam augeam & pariam faſtidium lectori, numerum dumtaxat civitatum, oppidorumque ſequenti capite adſcribam.

CAPVT VIII.

Singularum Provinciarum civitates & oppida.

PRovincias illas Regni potius nomen mereri convincunt civitatum & oppidorum in ſingulis numerus: nam pagos addere infinitus eſſet labor. *Paguia* Provincia, in qua ordinaria Regis & Concilij eſt ſedes, quadraginta ſeptem civitates, ac oppida centumquinquaginta comprehendit: *Canton* civitates 36. oppida 190. *Foquiem* civitates 33. oppida 99. *Olam* civitates 90. oppida 130. *Synſay* civitates 38. oppida 124. *Siſuam* civitates 44. oppida 150. *Tolanchia* civitates 51. oppida 123. *Canſay* civitates 24. oppida 112. *Oquian* civitates

vitates 19. oppida 74. *Aucheo* civitates 25. oppida 29. *Honam* civitates 20. oppida 102. *Xanton* civitates 37. oppida 78. *Quicheu* civitates 45. oppida 113. *Chequeam* civitates 39. oppida 95. *Suſuam* civitates 42. oppida 105. Quo computu erunt in univerſum civitates 590. oppida 1574. Ex his numeroque pagorum ac domorum ad recreationem deputatarum infinito, quàm meritò Regnum iſtud *Magni* appellationem mereatur, pronum eſt colligere.

2. Mos eſt Chinenſibus, nominibus civitatum in fine addere ſyllabam *Fu*, quòd civitatem deſignat, velut, *Taybinfu*, *Cantonfu*; oppidorum verò nominibus *Cheu*. Pagos ibi invenias, quibus ad oppidi appellationem ſolùm deeſt nomen. Civitates ut plurimùm in altiſsimorum fluminum ripis conditæ & latiſsimis cinctæ foſsis probè munitæ, accedente præſertim craſſorum murorum ambitu, habentur. Muri plerumque ex lapide ad hominis altitudinem exurgunt, reliquum perficitur ex latere candido, ſed quem ferrum vix rũpat. Eam in nonnullis civitatibus latitudinẽ habent, ut quatuor ſex ve ſimul homines lateraliter admittãt. Turres & colles frequenter non muniunt tantùm, ſed & ornant, porticibus formoſiſsimè cincti, quas ad ſpectaculum commodas reddunt elevata ad umbilicum ſuſtentacula, ad quas non-raró Pro-reges

Præ-

Præfectique, ut agrorum fluviorumque ſe conſpectu oblectent, conveniunt. Extimè inter muros & foſſas, intimè inter muros & domos tantùm interjacet ſpatij quod ſex ſimul equitibus lateraliter ſufficiat, ne quod circumcurſitantes retardet impedimentum. Murorum integritas & nitor recentem eorum ſtructuram probare poſſet, niſi monimentis conſtaret nonnullos bis mille annis eſſe vetuſtiores. Illius cauſa eſt conſervandi iſtos ingens ſollicitudo; conſtituto in qualibet civitate & oppido judice, cui ex regio ſtipendio incumbat viſitare illos ac reficere, ſicubi rimas agere aut pati detrimenta videantur, ſuppeditãte expenſas ærarij Regij Theſaurario. Viæ totius Regni aut naturâ aut labore hominum planæ ſuccurrere itinerantium fatigationi videntur: civitatum oppidorumque introitus tribus aut quatuor fortiſſimis portis, quas laminæ contegunt ferreæ, vallati nõ magis munimentorum ſpeciem quàm formam quandam majeſtatis oſtentant Plateæ commodè lapidibus ſtratæ ac amplæ, ut quindecim capiant junctim equitantes, eâ rectitudine protenduntur, ut ſtantium in uno termino oculi in alterum terminum non impeditâ viſione ferantur. Per platearum utrimque latera porticus in longum currunt, officinis, quas curioſiſſimæ & pro cujuſlibet deſiderio variæ replent

merces, deſtinctæ. Plateis etiam inſignem adferunt ſplendorem frequentes in iis arcus triumphales ex lapidibus conſtructi ornatique ingentibus picturis, ad veterem Romanorum morem. Quælibet ædes tres omninò portas habent, ac mediam cæteris laudandâ proportione majorem.

3. Ordinaria Regis ſedes eſt civitas *Suntien*, quod eorum linguâ eſt *civitas cæli*; de cujus magnitudine mira quidem narrant ſcriptores Chinenſes, ſed ideò à veritate non abſona, quòd nihil in eorum narratione varient diſtantia hiſtoricorum tempora aut loca. Hoc igitur ævo mundi totius maxima non temerè illorum judicio dicetur: ſunt qui minorem faciunt, adfirmant tamen, ejus ſeclusis ſuburbiis, ab una porta ad alteram diametrum eâ longitudine protendi, quanta æſtivo die ac celeri æquo percurri poſsit. Illam Marcus Polus alio nomine *Quinçay* appellat.

CAPVT IX.

Miranda Regni ædificia, muruſque qui latus eius cingit, longus quingentis miliaribus.

ARchitecturæ ſcientiâ excellunt Chinenſes, neque uſpiam aptior eſt ad ſtructuras materia. Con-

Conſtat etenim ex capite præcedenti coqui ibi ex terra alba lateres quos ægrè ferro magnæ vires perrumpant. Quapropter videre paſsim eſt ingentia elaborataque egregiâ arte ædificia. Et ut nunc Regium, quod in civitate *Taybim* eſt, palatium prætereamus ſpeciali poſtea capite celebrandum; In civitatibus Provinciarum capitalibus Pro-reges domos habitant admirandas, ſuperbiſsimas, ſuavi architecturæ arte factas expenſis regiis, & in omnibus civitatibus æquales: oppido integro magnitudine ſunt pares, murali namque ambitu ingentes continent hortos, ſtagna, ſylvas: in his feræ currunt, volantque aves, in illis piſces natant, omnia ſcilicet ſtudioſè ad Pro-regum recreationes præparata. Civicas quoque domos ars, amœnitas, & nitor commendant. Interiùs candore nivem, chartam lævitate æmulantur, quibus concinnè lapides quadrati politique inſeruntur. Tecta ex præſtanti ligno egregiè elaborata aquâ illinunt, quâ auri colorem magnificè imitantur. Ante domos arbores plantant, quæ umbram plateis & formoſitatem præſtent; intrà eas hortos floribus ſerunt herbiſque viridibus ad oblectationem. Nulla tam exigua eſt, in qua non ſit ſtagnum cum piſcibus. Arearum, quæ nullis etiam deſunt, unum latus armariis occupant, quibus plurima ac ex varia ſculpta materiæ idola imponunt:

tria reliqua latera ornant picturis,in omnibus nitidiſſimi,ut in ipſis quoque plateis tres quatuorve conſtituant latrinas mundiſsimas,in quibus communi omnibus mortalibus neceſsitate fatigati ſine platearum ſorditie ſe exonerare poſsint. Idem curant in omnibus viis. Sunt civitates, quarum plateas fluvij aquæductuſque ad navigationem apti interſecant, velut in Belgio Brugæ,in Occidentali India Mexico, in Italia Venetiæ,ut commoda ſit ad ipſas uſque ædes rerum neceſſariarũ navigiis advectio. Nulla hactenus detecta eſt regio,in qua majori ſtudio ſtratæ cõplanatæque ſint publicę vię,ut per ipſos montes perruperint: ut, qui viderunt, adfirment nuſquam in toto Regno exſtare illuſtrius induſtriæ & pertinacis laboris teſtimonium. Pontes admirabili ſtructurâ ſunt plurimi maximique: nonnulli etiam, ſicut Hiſpali, (a) navibus incumbunt, in latis præſertim & profundis fluminibus. Ajunt oculati teſtes in civitate *Fucheo* ante Quæſtoris Regij ædes turrem eſſe Romanas omnes ſtructuras ſuperantem: quadraginta ex ſolido lapide innititur columnis, quæ ſtuporem ſpectantibus ſuâ magnitudine incutiunt, & fidem apud lectores non ſunt inventuræ,quo timore nihil de illis particularius addo:idem etiam in reliquis,quæ credulitatis incurrere poſſent periculum, obſervo, niſi certa habeam pro ſpon-

(a) *Sev. ll.*

ſponſione veritatis monimenta.

2. Regni latus murus quingentarum leucarum cingit inter altiſsimos montes ab Occidente in Orientem magno flexu procurrens. Illum Rex *Trintzom* bello à Tartaris infeſtatus fieri mandavit. Sciendum verò quadringentas leucas naturæ montes opportunè elevanti, centum dumtaxat reliquas humano labori deberi, per quas murus montes conjungit. Surgit & completur ex ſolidiſsimo lapide, altitudine & craſsitie æqualis. Hæc quadraginta duorum eſt pedum. (a) opus arduum magno ſubditorum onere Rex tentavit, cogens ad illud ex tribus ſubditis ſuis unum, ex quinque duos, qui & longõrum itinerum difficultatibus & aëris varietate omnes penè perierunt, quorum mortibus irritati cæteri trucidarunt ſuperbiſsimi operis authorem anno regni ſui quadrageſimo, eiuſque ſimul filium *Agutzi* nomine. Muri huius ſtructuram concordi narratione confirmant, quotquot cum Hiſpanis hactenus, ſeu in Inſulis Philippinis, ſeu in Canton aut Machao tractarunt, Chinenſes: nulli tamen noſtrum contigit, cùm in ultimis Regni ſit finibus, eum vidiſſe.

(a) *Siete braças.*

C A-

CAPVT X.

De ſtatura, facie, veſtitu & exercitiis Gentis.

1. VIri mulieresque Chinenſes vegeto, venuſto & aptè articulato ſunt corpore, magnitudini quàm parvitati proquinquiores. Facies ipſis largæ, exiles oculi,nares compreſſæ, imberbe anteriùs mentum, & quod rari tantùm in circuitu capilli veſtiunt. Non deſunt aliqui oculis grandioribus, barbis aptè provenientibus, formoſâ facie: ſed quorum numerus non eſt aliis comparandus, putanturque à tempore, quo licitum adhuc erat è Regno egredi aut illud intrabant exteri,ex majorum cum peregrinis commixtione perſeverare. Ex Provincia Canton oriundi in fuſcum colorem declinant,cæteri candore ruboreque Germanos,Italos,Hiſpanos imitantur. Dextræ manus ungues cum reſecent,illos prolixòs alunt in ſiniſtra,cæſariem item oblongam, quam magno curant ſtudio religantque aureis filis in vertice, ſuperſtitione ducti potiùs quàm decore, arbitrantes ſcilicet eorum ſe apprehenſione in cælum elevandos.

2. Biſsino variis imbuto coloribus, quos præſtantiſsimos habent,nobiles principalioreſque veſtiuntur:

Ple-

Plebæi verò ſerico viliori, aut goſsipio, aut lino, quorum omnium copiâ abundant. His ſe in regione temperata tolerāt, ignari gravioris aut craſsioris veſtitus. Nam tametſi ſuppetat lanarum abundantia, nullos tamen ex ijs pannos conficiunt. Tunicas geſtant veteribus noſtris non abſimiles, largis fimbrijs, frequentibus plicis, eaſque aliquoties obvolutas ad latus ſiniſtrum affibulant. Manicas amant amplas & turgidas. Dictis tunicis alias ſuperinduunt promiſsiores, ſuæ quilibet conditioni congruentes, non niſi largioribus manicis à noſtris diſtinctas.

3. Eſt & veſtitus differentia inter ipſos nobiles: Qui ex ſanguine ſunt regio aut in dignitate conſtituti, tunicas auro & argento cingulo tenus acupingunt: minores non niſi oras ornant: Caligis utuntur, quas fibulis non indecorè connectunt: ocreas calceoſque ex holoſerico curiosè conficiunt. Hieme tametſi frigus ſit temperatum tunicas pellibus, quibus illos abundare diximus, fulciunt, quarum ad collum perpetuus apud illos eſt uſus.

4. A conjugatis cælibes diſcernuntur, quòd hi capillitium in fronte diſcriminent, pileoſque portent altiores. Mulieres ornatui ſtudent impenſiſsimè, veſtitûs forma Hiſpanicæ non multùm eſt abſimilis: auro gemmiſque ſe onerant, ut nullibi meliùs

mundus muliebris appellari poſsit:amplis,non minùs quàm viri,manicis delectantur: veſtium materia eſt pannus aureus,argenteus, vel ſericus præſtantiſsimus; holoſericum etiam pauperes aſſumunt, quamquam vilioribus quoque contentæ: capillos habent pulcherrimos, ijs comendis nimiſquam intentæ, quos vittâ ſericâ amplâ ac gemmis ubertim reſperſâ capiti circumligant:ceruſſæ uſus communis eſt,alicubi cum exceſſu ab illis uſurpatus: decorum reputant exiles habere pedes,quos ab infantia faſciis arctè conſtringunt, puellis dolorem pulchritudinis deſiderio patienter ferentibus:virorum artificium id arbitrantur nonnulli,quo dulci pulchritudinis obtentu fœminas docuerunt virtutes, quæ fœminas decent, *rarò ab opere ſurgere,rariùs egredi domo*;nam non difficilis modò,ſed & fœdus factus eſt earum inceſſus. Res talibus,ut creditur,exordijs nata lapſu annorum abijt in conſuetudinem,quæ velut legem ſtabilivit,ut ſi quæ honoratior mater filiarum pedes non compreſsiſſet, nunc nō notaretur modò, ſed caſtigaretur. Tali magiſterio, præcisâ diſcurſuum occaſione, amare honeſtatem didicerunt ita plenè, ut ejus clara exhibeant documenta: nunquam ad feneſtram accedunt, nunquam ad portam, multò minùs, ut ſpectentur aut ſpectent tranſeuntes,excubant;ſi quem maritus ad convivium invitat,

vitat, abſunt conjux & filiæ, niſi invitatus proximè ſanguine, aut probatâ amicitiâ jungeretur: cùm ad viſitandum patrem aut matrem aut conſanguineam egredi domo contingit, per quatuor homines feruntur ſellâ, cujus utrumque latus filis aureis aut argenteis aut ſericis ita arctè eſt intertextum, ut videri planè non poſſint, ipſæ non niſi velut per umbram videant: nec ſic tamen ſine inſigni famulorum comitatu procedant: adeoque inter miranda computaretur, ſi quæ in plateis conſpiceretur fœmina honorata: diceres potiùs nullam eſſe in tota civitate, inductis ſponte pedum vitijs non parùm ad hanc ſolitudinem opitulantibus.

5. Ingenio pollent viri fœminæque; picturæ & ſculpturæ non ignari, in pingendis ſylvis, avibus, & ferarum venationibus excellunt: hujus in artibus iſtis excellentiæ abundè teſtes ſunt menſæ inde allatæ. Vnam ipſe vidi, quam anno M. D. LXXXII. Lisbonam advexerat Ribera Cēturio & Supremus Manilæ Prætor, cujus præſtantiam ſatis probavero, ſi dixero Philippum II. Hiſpaniæ Regem eam fuiſſe miratum, in rerum admirationibus parciſſimum, cujus proptereà ſolius judicium omnium etiam opificum famoſiſſimorum, qui eam intuentes ſtupebant, laudi præponderat. Curioſi ſunt inventores, nam cum rhe-

darum & curruum qui equis trahantur, in regno ubique magna ſit copia , fabricarûnt inſigni induſtriâ alios in uſum campeſtrem , quos ventus velis exceptus impellit & non difficulter clavus regit. Hujus veritatem cùm adfirment plurimi, probant etiam variæ allatæ inde in Luſitaniam picturæ,& vaſa fictilia,quæ Europæi *Porcelana* vocant,incertum qua de causâ,quæ talium curruum ſpecies exhibent.

6. In emptionibus & venditionibus callidiſſimi ſunt,capillum unum ſuis licitationibus & decuſſionibus diviſuri. Mercatores,qui officinas habent, quales ſunt plurimi,ad portam tabulam ponunt,in qua merces,quotquot ibi ſunt venales , deſcriptæ proponuntur:ordinariæ in illis merces ſunt panni ex auro , argento , byſſino, quod varijs ac optimis intinctum eſt coloribus. Pauperiores minoris pretij telas vendunt ex goſsipio, lino, ſimileſque, exiguò certè, utpotè abundantiſsimas,quòd multi ſint earum opifices.Medicæ item officinæ ſingularum medicinarum nomina præfigunt. Alij porcelanum exponunt,rubrum , viride,auratum,flavum,idque pretio in Europa ridendo, quatuor ſcilicet regalibus vaſa quinquaginta. Fingunt ea ex terra rudi difficilique, quam concuſſam molitamque ictibus in ſtagnum aquâ plenum inijciunt,cujus latera ſolido lapide conſurgunt, in eoque

variè

variè illam agitant volvuntque, donec in ſumma aqua velut quædam pellicula aut parva cruſta innatet; quæ eſt materia ſubtiliſsimi porcelani, tantumque de bonitate deperdit, quātū à ſupremo ad imum recedit: Componunt ea non aliter quàm Europæi ſuas teſtas fictiles, tinguntque illo, quem volunt, colore nunquàm eluendo, poſtquàm furno coctæ coaluerunt. Et iſte quidem veroſimilior eſt faciendi porcelani modus, tametſi Odoardus Barboſa Italus ſcriptor fieri velit ex contuſis concharum marinarum teſtulis centum annorum ſpatio ſub terra purificatis; quem vel ſola convincit porcelani multitudo, quæ in Regno ſervatur, quæque in Luſitaniam, Peruviam, Novam Hiſpaniam, aliaque mundi loca defertur, quam conchiliorum molitorum farina centum annis purganda ſuppeditare non poſſet, præterquàm quod Chinenſes ſuis teſtimonijs dictum fingendi modum confirment. Subtiliſsimam, quæ criſtalli nitorem æmulatur, *Suſuam* Provincia miniſtrat, nunquamque è Regno effertur, ſed obſequijs Regis, Præfectorumque deputatur.

7. Artibus mechanicis ſuæ ſunt plateæ attributæ, ut omnes unius artis opifices junctim habitent, ideoque ex unâ alicujus anguli domo facilis eſt reliquarum in illa platea officinarum collectio. Lege ſta-

tutum ut in locum patris filius in eadem arte ſuccedat, quam ſine Magiſtratuum conſenſu mutare nefas eſt. Diſpenſant tamē cum valdè opulentis, ne propriis manibus laborare teneantur, modò per famulos artis miniſteria exequantur. Hâc pro artibus ſollicitudine fit, ut operentur perfectiſsimè. Quod perſpicuè probant, quæ ex China in Inſulas Philippinas, in Indias ac Luſitaniam manufacta deferuntur.

8. Monetæ valorem non ex impreſſa imagine, ſed pondere æſtimant: quapropter quilibet auri, argentique exigua ſecum fruſta portat, ut ad eorum gravitatem pecuniæ, ſi quid emendum ocurrat, valorem expendat. Magnis rebus magna in ædibus pondera curâ Magiſtratuum ſummoperè illius ſatagentium ſignata ſervant. Moneta paſsim ex auro argentoque eſt: ſignatam ex ære ſola Præfectura Chinceenſis (a) admittit.

(a) *de Chincheo*

PAR-

PARTIS PRIMAE HISTORIÆ CHINENSIS

LIBER SECVNDVS.

Qui eſt de incolarum religione.

CAPVT I.

De Deorum, quos adorant, multitudine: de quibuſdam ibi repertis picturis, quæ ſunt velut quædam Religionis Chriſtianæ veſtigia.

1. INter varias idolorum, quæ Chinenſes habent, figuras, ajunt ipſi unam eſſe, cui præcipuum deferunt cultũ, eſtque talis. Ex eiuſdem corporis humani humeris tria exurgunt capita conſtanti in ſe invicem obtutu defixa: idque illâ, ut interpretantur, ratione, quòd quidquid uni placet, placeat omnibus; quod diſplicet, omnibus diſpliceat. (a) Quam ſi Chriſtianè explicemus, adumbratio quædam erit myſterij Sãctiſsimæ & individuæ Trinitatis, quam

(a) 2. part. lib. 1. cap. 25. nu. 3.

quam fides Catholica confitetur & adorat. Adeoque non improbabile videtur prædicaſſe in eo glorioſiſſimum Chriſti Apoſtolum S. Thomam, de quo in die illi ſacra legit Sancta Mater Eccleſia , *Poſt acceptum Spiritum Sanctum in multas Provincias profectus eſt ad prædicandum Chriſti Evangelium: Parthis, Medis, Perſis, Hircanis & Bactris Chriſtianæ fidei & vitæ præcepta tradidit. Poſtremò ad Indos ſe conferens eos in Chriſtiana Religione erudivit.* Neque veroſimile eſt ſanctiſſimum Apoſtolum cùm tot vicinis nationibus prædicârit, ſolos prætcrijſſe Chinenſes nulli genti aut numero aut potentiâ ſecundos. Hujus igitur prædicationis aliquæ in dicta pictura reliquiæ perſeverare poſſunt, quamquàm multorũ ſæculorum lapſu & idololatriæ excæcatione verum ejus myſteriũ ignorent. Quod ideò quoque minùs à veritate reputabitur alienum, quòd in ſcriptis Armenorum, quæ authentica ipſi æſtimant, reperiatur dictum Apoſtolum, dum in Indiam, ubi telis confoſſus Calaminæ interijt, proficiſceretur, per Chinam tranſiviſſe prædicaſſeque Evangelium , fructu nihilominùs exiguo, quòd Bellis Regnum arderet diſtraheretur que, ob quæ cito tranſitu baptizatis paucis ad Indos perrexerit, Chinenſes tempori deſtinans opportuniori. (a)

2. Di-

(a) *Multa de S. Thoma Apoſtoli prædicatione, neque iniucunda videri poſſunt lib. 1. hiſtoriæ noſtræ Peruanæ cap. 5.*

2. Dicuntur etiam aliquæ extare picturæ noſtris, quibus Apoſtolos depingimus, non abſimiles: quod aliud eſſe poteſt prædicationis Apoſtolicæ argumentum. Rogati Chinenſes, quales dictis picturis ſignificentur, inſignes fuiſſe ajunt Philoſophos, qui ob vitam hîc in virtutibus exactam in cælum migrârint effecti Angeli.

3. Vſitata quoque eſt mulieris formoſiſsimæ puerulum brachiis complexæ, quam Regis magni filiam dicunt virginemque in partu permanſiſſe, imago, quam plurimùm venerantur, orationeſque ante illam fundunt; pro tota hiſtoria non aliud ſcientes quàm vixiſſe illam ſanctè & ſine ullo unquàm peccato. (a)

3. P. Gaſpar de la Cruz Luſitanus, gravis ex Ordine S. Dominici ſcriptor, quem proinde in quibuſdam hujus Hiſtoriæ ſequor, memoriæ prodit, ſe, cùm in civitate *Canton* ageret, in exiguam, quæ in ingenti erat ſita fluvio, inſulam tranſmiſiſſe, ibique ædificium noſtris monaſteriis ſimile inveniſſe; quod cùm obambularet notaretque curioſiora ac vetuſtiora, obſervaſſe ſacellum egregiè ſtructum ornatumque, ac auratis clauſum & cinctum cancellis, ad quod gradibus aliquot aſcendebatur: conſpexiſſe verò in eo altare, cui pretioſiſſimum erat ante-pendium, ac ſuper altare fœminam perfectionis mirandæ, quam puerulus proje-

(a) *vide* 2. *par. lib.* 1. *cap.* 25. *nu.* 3.

ctis in collum brachijs amplectebatur,ante quam tęda ardebat; ſeque inopinato ſpectaculo ſtupefactum ſtatuæ myſterium vel ſignificationem quæſiviſſe, cui nihil clarius aut prolixius,quàm quod dictum eſt,reſponderunt.

4. Sunt tamen hæc non futilia, quòd in China fuerit prædicâritque S. Thomas, argumenta, cum poſt tot ſæcula perſeverent tam lucida Chriſtianæ fidei veſtigia,licet idololatris nō niſi per umbram cognita.

5. Erroribus ſine numero & fundamento,quæ abeſſe neceſſe eſt quamdiu veri abeſt cognitio Dei, implicantur, ut ſequentibus fiet capitibus manifeſtum.

CAPVT II.

Pergit tractare de religione & idolis.

1. VLteriùs verò, ad res viris in adminiſtranda Repub. tam prudentibus ac acribus ad omnes mechanicas artes ingenijs indignas, illos idololatrica cæcitas provolvit, ut planè ſtupendum eſſet,niſi ſciremus quàm omnis ſine Chriſtianæ doctrinæ ductu & luce mens titubet offendatque.

2. Res omnes ſeu viſibiles, ſeu inviſibiles à cælo

creatas

creatas eſſe in univerſum credunt omnes Chinenſes ideoque illud primo alphabeti caractere exprimunt: cælo item in ſupernis vicarium eſſe, qui res omnes adminiſtret, *Laocon Tzautey* nomine, quod idem eſt atque Magni Dei Vicarius, ſeu Gubernator: huic poſt ſolem præcipuos exhibent honores, dicuntque eſſe increatum, æternum, incorporeum, ſpiritum. Ejuſdem naturæ cenſent eſſe alium *Canſay* dictum, cui rerum omnium ſub-lunarium adeoque mortis & vitæ ſit attributum imperium. Illi tres rurſum ſpiritus in auxilium amplæ adminiſtrationis ſubijciunt, *Tanquam*, *Teyquam*, *Tzuiquam*, ſui regiminis limitibus unicuique diſtributis. *Tanquam* pluvijs præeſt, ut illas opportunè terris immittat: *Teyquam* hominum, frugum, fructuumque generationibus: *Tzuiquam* mari ac navigantibus. His in ſacrificium victum, thimiama offerunt; ornamenta verò altarium pretioſa, & comœdias, quas vivaciſſimis actionibus exhibent, (a) voto dicant, rogantes quemlibet eorum beneficia ſuæ adminiſtrationi conformia.

3. Plurimos homines, qui vel fortitudine vel ſcientiâ, vel induſtriâ, vel vitâ ſolitariâ auſterâve cæteris antecelluerunt, vel vixerunt innocui, ſanctos reputant, quos linguâ ſuâ *Panſaos*, id eſt, beatos vocant.

(a) *vide part. 2. lib. 1. cap. 24. 28. alijſque.*

 4. Dæ-

4. Dæmoni litant, non quòd nefarium aut damnatum ignorent, ſed ne rebus ſuis noceat aut perſonis.

5. Idolorum exoticorum tanta apud eos eſt multitudo, ut ſolis eorum nominibus facilè eſſet hiſtoriam contexere: quæ, quia noſtram brevem volo, illi non inſero, contentus tria poſuiſſe præcipua, & quæ venerationis celebritate proximè ad ſuperiora (a) accedunt.

6. Primum *Sichia* appellatur, quod ex regno *Trautheyco*, quod occidentale eſt Chinenſibus, advenit, adduxitq; modũ vivendi Religioſorum Religioſarúmq; quales in China uſque modò perſeverant, viventes in communi cęlibes, perpetuò concluſi. Hunc quotquot imitantur, quòd ſine crinibus fuiſſe credant, etiam capillum radunt, ſequunturque ſtudiosè regulas ab ipſo præſcriptas.

6. Secundum *Quanina* eſt. Fuit filia Regis *Tzonton* tertia, qui cùm duas nuptui dediſſet, conareturque etiam hanc marito tradere, illa, quòd cælo caſtitatem voviſſet, abnuit, patriſque ob id gratiâ excidit: quam propterеà pater loco velut monaſterio incluſam ligna & aquas comportare, hortumque domui junctum purgare juſsit. De hac plurima Chinenſes narrant riſu digna: veniſſe ſcilicet ex monte in illius adjutorium ſimias, ſanctos aquas attuliſſe, aves roſtris pur-

(a) *de quibus dictum capite præcedenti.*

gaſſe

gaſſe hortum, majora animalia fuiſſe in ſubſidium ferendis lignis: patrem ratum incantationibus arteque diabolicâ iſta à filia fieri (prout re-ipſa, niſi ſint figmenta, fiebant) ignem domui in qua vivebat, injici præcepiſſe: filiam porrò, quòd ſui causâ ędes arderent, indignatam voluiſſe ſibi calamiſtro argenteo guttur transfigere, at exortâ ſubitò procellâ flammis extinctis illam in latebras montis profugiſſe, egiſſeque ibi vitam ſanctam & pœnitentijs aſperam: verùm parentem in commiſsi ſceleris ultionem immedicabili fuiſſe percuſſum leprâ & vermibus corroſum: quam patris extremam calamitatem cùm filia divinitùs adflata intellexiſſet, accurriſſe illam in ſolatium & curationem: patrem magnis doloris indicijs ab agnita veniam impietatis poſtulaſſe & adoraſſe; illam verò adorationis honorem cùm à ſe amoliri conaretur, nec potuiſſet, ne tamen ſibi deferri videretur, ante ſe collocaſſe ſtatuam Sancti, ac nullâ morâ in deſertum regreſſam beatâ religioſam vitam morte concluſiſſe. Impensè illam venerantur, ſupplicantque, ut à cælo, in quo eam reſidere incunctanter credunt, condonationem impetret delictorum.

7. Tertiò uti Sanctam colunt quandam *Neoma* dictam, in Provincia *Ochiam* ex oppido *Cuchi* patre Principe oriundam. Hæc etiam Chinenſium opinio-

 ne,

ne,nuptias averſata in exiguam inſulam Ingoæ (a) finitimam ſeceſsit,ubi poſt vitam incredibili auſteritate actam exceſsit miraculis clara. Præcipua verò, ob quam æſtiment Sanctam,cauſa hæc eſt. *Compo*,ut bellum finitimo Regno inferret,à Rege Chinenſi miſſus cum claſſe ad portum *Buym* appulit, ex quo cùm vela facere mandaſſet,anchoras nullâ vi aut artificio levare potuerunt. Rei inſolentiâ attonitis *Neoma* apparuit in anchoris conſidens, ad quam profundâ ſubmiſsione *Compo*,*Iuſſu*,ait,*Regis mei ad bellum feſtino, tu,ſi ſanctum eſt,quid in hac anxietate agendum,doce. Me* , reddidit Neoma,*ſi ab hoſtibus,ad quos tendis,victoriam deſideras* , *comitem aſſume.* Aſſumpſit,magno,ut patuit emolumento;nam cùm regno,contra quod proficiſcebatur,incolę veneficijs eſſent addictiſsimi infuſo in mare oleo ſpeciem exhibebant quaſi naves arſiſſent. Verùm *Neoma* magicâ arte potentior omnes adverſariorum conatus diſsipavit,damnumque à Chinenſibus avertit, hoſtibus in poteſtatem Regis Chinenſis tranſire compulſis.*Compo* portento obſtupefactus,reputans tamen non imprudenter ſe potuiſſe illudi;ſtatuit aliud ſumere inſolitæ poteſtatis experimẽtum,rogavit ergo ut quem manibus ipſe geſtabat aridum ſtipitem , faceret revireſcere,quo argumento ſe divinos illius ſanctitati honores tributurum.Reddidit illa eodem momento ſtipitem

(a) *Ingoa.*

pitem non viridem modò ſed & odoriferum, quod miraculo adſcribens ſtipitem in puppi collocavit, Neomæque totius expeditionis proſperitatem adſcripſit, conſuetudine ad poſteros transfusâ Neomam navium puppi imponendi, quam navigantes invocant ſataguntque ſacrificijs reddere propitiam.

8. Hæc præcipua Chinenſium ſunt numina: habent tamen alia in ſuorum templorum altaribus ſculpta & deaurata idola complura, ut P. Hieronymum Marin Con-votum, (qui in Chinam ingreſſus, multarum, quas huic inſero Hiſtoriæ, rerum notitiam ingeſsit, vir fide dignisſimus) narrantem audiverim numerata à ſe in ſolo uno civitatis Vcheenſis (a) delubro idola, ſupra centum, duodecim: ac quòd præter iſta, multa ſtatuant in vijs, plateis, & portis principalioribus, ſed quæ admodùm neglectim venerentur, ut dicitur capite ſequenti. Ex quibus manifeſtum fit, quàm vivant erroribus obnoxij, quos non illuſtrat lux veritatis Evangelicæ fideique Chriſtianæ.

CAPVT III.

Exigua idolorum apud Chinenſes æſtimatio.

1. TAm exigua eſt idolorum apud Chinenſes æſtimatio, ut ſpes non inanis ſit ad prædicationem

(a) de Vcheo.

nem

nē doctrinæ Chriſtianæ,deſerenda ſimulachra, proijciendaſq; ſuperſtitiones & ſortilegia,quorū frequētiſſimus in illo regno eſt uſus. Quod tāto majori videtur facilitate ſecuturum, quòd optimis polleant ingenijs, quæ rationi nullâ obſtinatione ſuccumbunt, ut iſto, quod refert P.Gaſpar de la Cruz Dominicanus, conſtat experimento. Dum in civitate *Canton* ille ageret videretq; in templo idolis ſacrificia offerri, zelo divini honoris concitatus quædam ex illis in terram dejecit: quâ peregrini audaciâ, & temerariâ, ut ipſis videbatur, impietate irritati ſacrificio præſentes,impotenti furore comprehenſum trucidaſſent, niſi ille,antequàm mortem inferrent,audiri,quæ pro facti cauſſa dicturus eſſet,petiviſſet. Preces hæ à præcipuis juſtæ reputatæ:indicto omnibus ſilentio audierunt dicentem,prout Spiritus Sanctus dabat eloqui illi. *Magnum* ait, *mihi in hac extremâ neceſſitate ſolatium ſupereſſe video, quod ad gentem dicturus ſum,quæ nulli totius mundi bonitate ingeniorum & eorum culturâ, adminiſtrandique Rempub. ſcientiâ cedit. Agite igitur ne Dei ſummi,qui ex nihilo cælum ac terram produxit,beneficia in eius iniuriam convertatis, honorem illi debitum impendentes lapidibus aut lignorum truncis, nec ratione præditis aut ſcientiâ,nec aliud habentibus eſſe, quàm quod Deus verus illis conceſſit, formaveruntque artificum manus. Ordinatiùs foret,ſi idola ſenſu & ratione carentia ſuos adorarent artifices,*

fices, quàm quod hi ſuarum manuum opera venerentur. Quibus ſimilibuſque rationibus non tantùm placavit furentium impetum, ſed evicit inſuper, ut, quæ dicta erant, probarent, ſubitam violentiam præteritâ ſuâ, contra quam nihil hactenus à quoquam audiviſſent, ignorantiâ excuſantes, deducenteſque, in gratiarum, quas pro inſtructione agebant, teſtimonium, ad ædes in quibus hoſpitabatur: idolorum ſuorum, quorum nonnulla caſus confregerat, planè incurij.

2. Indicium id eſt evidens, quantâ facilitate ingens illud regnum fidem Catholicam eſſet admiſſurum, ſi ſemel luci Evangelicæ porta panderetur, quam dæmon falſis illuſionibus tantò arctiùs firmavit, quòd Regi ejuſque Concilio, evitandarum novitatum & alterationum obtentu, author fuerit condendi & rigoroſiſsimè ſervandi legē, quâ ſub mortis pœna cavetur, ne quis in regnum extraneus, ne quæ nova doctrina admittatur. Hæc ingeniorum Chinenſium docilitas, melioris doctrinæ amor, in correctionibus humilitas, idolorum neglectus, rituum Catholicorum præ ſuis ſuperſtitionibus & vanitatibus prælatio, non iſto tantùm exemplo patuerunt, ſed in alijs quàm plurimis, qui derelicto idolorum cultu baptiſmum Manilæ in Inſulis Philippinis ſuſceperunt, voluntario exilio illi doctrinæ adhærentes, quam ad ſalutem

animæ neceſſariam æſtimant, exprimuntque vitâ ſeriò Chriſtianâ.

CAPVT IV.

De ſortilegiis, quorum in regno Chinenſi frequentiſſimus eſt uſus, ac modo invocandi dæmonem.

1. NOn ſuperſtitionibus modò, ſed & divinationibus, quas certas & infallibiles reputant, ſunt addicti Chinenſes, præcipuè verò certo ſortilegij generi, quo utuntur quotieſcumque itinerari, jungere connubio filium aut filiam, mutuum dare, vendere, negotiari, vel aggredi aliquod magni momenti negotium, cujus dubius eſſe poteſt ſucceſſus, ſtatuerunt.

2. Sortiũ autẽ is eſt modus. Duo ligna nucis magnitudine, unâ facie plana, alterâ ſuperficie rotunda, quaſi globuli unius per mediũ ſecti duas partes, tenuiſsimo filo colligata ante idola in pavimentum conijciunt, præmiſsis ſtudiosè pro fortunato ſortium caſu, ex quo eventus felicitatem metiuntur, precibus & magnificis promiſsis: quæ ſi poſt jactũ rotundâ ſuperficie aut utraque, aut alterum eorum pavimento inſiſtant, infauſta exiſtimant, verſique ad idola multis illa vituperijs invadunt, appellando canes, nefaria, infamia, ſimi-

ſimilibuſque improperijs proſcindendo. Impetu deinde opprobriorum in blanditias converſo veniam injuriarum petunt,laudibus mulcent, ſataguntque favorabilia reddere majoribus pollicitationibus, atque ita repetunt jactum ſortium modo ſupra dicto. Si adverſæ cadant,vituperia reportant:laudem,ſi propitiæ. In magni momenti rebus ſi ſæpè repetitæ caſu ſuo votis jacientium non reſponderint , idola jam non verbis ſed verberibus aggrediuntur, dejecta in terram pedibus conculcant,aut deferunt in mare, aut admoto lumine aliquantulùm adurunt,aut fuſtigant, donec utræque ſortes planâ facie pavimentum lambentes,adeoque fauſtæ reputatæ , ſatisfecerint petentium deſideriis. Propitias hymnis , muſicâ , oblationibus gallinarum,anſerum,anatum, aut coctæ orizæ celebrant: in maximarum rerum propitiationibus nihil elixo ramiſque ornato porci capite & amphorâ vini æſtimant ſolemnius. In altilibus hoſtijs roſtrorum & ungularum ſummitates , in porcis extremas nares præſcindunt,eaque cum aliquot orizæ granis permixta paucis vini guttis irrorant, lancique impoſita collocant in altari ; cætera ipſi magnâ lætitiâ ante idola abſumunt.

3. Eſt & aliud ſortium genus;multa lignorum fruſta, quorum quodlibet unâ inſcriptum eſt literâ, in-

jecta in ollam magnâ ſedulitate convolvunt, quæ ſigillatim educit pueruli manus. Ex literæ indicio foliū in libro ab eadē incipiens requirūt,quod pro libitu & deſiderio ſortientis in voti ſolatium interpretantur.

4. In tribulationibus conſtituti, prout Chriſtiani ad Deum recurrimus aut recurrere deberemus, ipſi ad dæmonis opem confugiunt, cum quo familiariter loquuntur,quærendo remedia, quibus ſe anguſtijs evolvant. Ejus ſpecimen anno M.D. LXXX. præſente R. P. Petro de Alfaro Ordinis Franciſcani Cuſtode exhibuerunt (a)

5. Servant porrò iſtum in invocando dæmone ritum. Aliquis ſe pronum in terrâ proſternit,aliuſque ex arrepto ad propoſitum libro cantat, cui adſtantium pars reſpondet,ſonitum campanulis & tympanis excitant cæteri. Poſt aliquantulam moram qui ſe in pavimentum dejecerat terribilibus ſe incipit geſtibus agitare, infallibili ingreſsi in eum dæmonis teſtimonio,eumque tunc de rebus, quas ſcire deſiderant,ſciſcitantur, majori ſuâ fiduciâ quàm dæmonis fidelitate; nam tametſi penè ſemper reſpondeat aut voce aut litteris,ambiguis tamen ſenſibus interrogantes eludere ſolet.

6. Si vocale nonnunquam reſponſum detrectat, ad reſpondendum per literas ſequenti ſuperſtitione invitant.

(a) *Vt dicetur 2. partis. lib. 2.*

vitant. Explicant in ſolo rubrum aulæum, quod certâ orizæ quantitate æqualibus diſtantiis inſpergunt, hominemque imponunt artis ſcribendi ignarum, ac baculum manu geſtantem: deinde cantum ſonitumque non aliter quàm in priori invocatione ordiuntur, receptoque mox in ſe dæmone conſiſtens in aulæo literas in oriza baculo format, quas dum aſtantes colligunt conjunguntque in voces, oraculum petitum invæniunt, non aliud tamen quàm quale à mendaciorum patre expectare potuerunt, falſum ſcilicet aut doloſum. Veritatem non niſi caſu profert, aut majoris deceptionis fiduciâ, unius veritatis pronuntiatione mille adſtruens mendacijs credibilitatem & perſeverantem in erroribus mentem animumque. Sortibus autem iſtis & dæmonem invocandi modo nihil eſt in iſto regno uſitatius.

CAPVT V.

Chinenſium de principio mundi & hominum creatione opinio.

1. CHinenſis natio tam claris licet acutiſque ingeniis ſit prædita, ut omnes alias deputet cæcas, ſolâ Hiſpanâ, in cujus notitiam paucis abhinc retrò annis pervenit, exceptâ, doceatque in publicis

gymnaſijs naturalem æquè ac moralem Philoſophiam, Aſtrologiamque; in origine tamen mundi & hominum multis involvitur erroribus, quorum nonnullos hîc producimus ex ipſis eorum libris, præcipuè verò illo, quem de principio mundi inſcribunt, deſumptos.

2. Ajunt igitur cælum, terrã, & aquam fuiſſe ab æterno permixta, *Tayn* verò in cælis reſidentẽ ſingulari ſcientiâ cælum ſeparaſſe à terra, illo (a) in alto extenſo, hâc (b) in ima innatâ inclinatione & gravitate decidente, prout modò conſiſtit. Idem *Tayn* ex nihilo creavit virum *Panzon* nomine, & mulierem *Panzona*. *Panzon* accepta à *Tayn* virtute aliũ ex nihilo creavit, quem *Tanhom* dicunt, tredecimque ejus fratres. *Tanhom* iſte tam præclarâ excelluit ſcientiâ, ut rebus omnibus creatis nomen imponeret, earumque virtutes, doctrinâ Tayni, penetraret, omnes potens earum applicatione morbos depellere. Fuit autem *Tanhom*, æquè ac ejus fratres multâ prole fœcundus, ac ſpeciatim ſenior, cui *Teyencom* nomen, duodecim habuit; eius primogenitus, *Tuhucom* dictus, novem: alijs item plurima ſoboles fuit. Credunt Chinenſes illorum proſapiam ampliùs nonagies mille annis perduraſſe, ac tùm Taynum, qui primum maſculum primamque fœminam ex nihilo creaverat, omnes maſ-

(a) *Cælo* (b) *terrâ*

maſculos extinxiſſe injuriæ ſibi factæ ultione & invidiâ ſcientiæ, quâ ſibi penè pares imperium, cui ſedum ſcientiā Taynus infunderet, parituros promiſerant, detrectarent. Cœlum eodem tempore decidens mox Taynus rurſum elevavit, aliumq; creavit in terra maſculum, quem *Lotzitzam* appellant, cui duo nata cornua ſuaviſsimum ſpirabant odorem, ex quo viri fœminæque generabantur: quibus multiplicatis diſparuit ipſe, atque ab illo, quotquot modò in mundo vivunt, originem duxêre. Primogenitum *Lotzitzami Azalan* vocant, ajuntque vixiſſe annis nongentis. Cælum etiam hominem produxit *Atzion* dictum, matrè ejus *Lutim* nomine ex capitis leonini, quod in cælo erat, conſpectu imprægnatâ: eum autem in *Truchin* Provinciæ *Santon* peperit, qui ætatem in octingentos annos extendit. Auctâ autem in mundo hominum, qui etiam dum ſylveſtribus & crudis cibis veſcebantur, multitudine, natus *Vſao* docuit artem ædificandi ex arboribus domos, quibus ſe adverſus cruentas frequentibuſque mortibus nocentes beſtias tuerentur, & conficiendi veſtes. Succeſsit *Huntzui* ignis inventor qui eo utendi, aſſandi, coquendique cibos, mutandi & vendendi modum tradidit: in contractibus, literis nondùm inventis, contortis in nodos chordis utebantur. Poſteà *Hautzibon* mulier filium prodigiosè con-

conceptum,poſito ſcilicet in humano veſtigio, quod in via reperit, pede, fulgure cincta, genuit *Ocheutey* multarũ in mundo rerũ auctorẽ:inter cæteras conjugia ordinavit, ludere varijs docuit inſtrumentis. Huic filius fuit *Ezonlom* medicinæ & aſtrologiæ præſertim judiciariæ, aratri & ligonis inventor,qui modum tradidit colendi terram. De illo mirabilia fabulantur: inter alia, quòd ſeptem herbarum venenatarum ac mortiferarum differentias innoxiè comederet,expleretque vitâ quadringentos annos. Ab hujus filio *Vitey* dicto Reges originem duxerunt, qui imperium ſucceſſione trãſmiſerunt, uti prolixiùs, quando de moderno Rege agemus, exequemur. His ſimilibuſque nugis mundi primordia involvunt, inſigni argumento,quàm gravibus erroribus ſit obnoxius intellectus humanus licet acutiſſimus, quem non irradiat cæleſte lumen, neque erudit Catholica fides.

CAPVT VI.

Indubitatam habent animæ immortalitatem, quæ in futura vita caſtigationem aut præmia recipiet factorum,quæ egit in vita præſenti. Quomodo pro defunctis orent.

1. QVæ in ſuperioribus capitibus diximus,ſi non certò convincat prædicaſſe in China S.Thomam

mam

mam Apoſtolum, admodùm certè veroſimile faciũt, unde non obſcura, tam quæ retulimus, quàm referemus, impreſſa eorum cordibus maneant Religionis Catholicæ veſtigia. In hoc capite animæ conſideramus immortalitatem, quam incunctanter credunt, eamque aut præmia recepturam aut pœnam in ſequenti vita, prout conjuncta corpori operibus ſeu bonis ſeu malis promerita fuerit: cujus veritatis causâ à multis ſe ſceleribus compeſcunt, in quæ alias proni provolverentur. Ideoque firma mihi in divina miſericordia eſt fiducia futurum aliquando, ut ad veram Divinitatis rerumque ab ea creatarum ac revelatarum notitiam deducantur. Aſſeverant firmiſsimè animam traxiſſe è cælo principium, & carituram fine ob æternum *eſſe* illi à cælo communicatum: illam, quæ in corpore, in quod eam Deus infudit, vixerit ſecundùm leges, quas Chinenſes habent, neque malum fecerit dolumve proximo ſuo, in cælum transferendam, ibique in Angelum commutatam, in magnis acturam delitiis in æternum duraturis: illam verò, quæ malè vixerit, in obſcuriſsimos carceres cum dæmonibus detrudendam, puniendamque in formidabili eorum conſortio tormentis, quæ nunquam finiantur.

2. Confitentur locum eſſe aliquem, in quo animæ in Angelos tranſmutandæ à maculis, quæ ex terreni

corporis contagio illis adhæſerunt,purgentur, atque ad citam purgationem bona conſanguineorũ ac amicorum opera opitulari. Ideoque officia facere,orationeſque pro defunctis,res eſt in toto Chinenſi Regno uſitatiſsima:ad quod diem habent in menſe Auguſto deſignatum. Oblationes pro defunctis non in templis,ſed in ipſis fiunt ædibus modo ſequenti. Tempore his officijs conſtituto,qui apud illos eum,quem apud nos Religioſi, ſtatum obtinent,diviſis inter ſe diebus domibuſque,expiationes curant. Terni ex eodem ordine ad domum pergunt ſibi deputatam, admonentque domeſticos ut orationes ſuas ſacrificiaque dirigant,ut omnes,qui ex iſta domo obierunt, detinenturque maculis impediti ne Angeli fiant ac bonis fruantur in cælo præparatis, feſtinè purgentur. Vnus Religioſorum velut ſacerdos exiguum geſtat tympanum,ſecundus tabulas aliquot, tertius campanulam,erectoque altari in eo Sanctos ſtatuunt, quos æſtimant pro mortuis advocatos; ijs thus, ſtoracem, alioſque adolent odores; menſas collocant quinque aut ſex cibo refertas Sanctis & mortuis dicato ; ac deinde ad tympani, tabularum, campanularumque ſonitum,tripudiis,ut affirmant oculati teſtes Hiſpani, ducendis aptiſsimum hymnos alternis choris decantant ex compoſito paratos, junioribus intereà Religioſis

gioſis eoſdem hymnos in papyro deſcriptos ad altare deferentibus. Qui ut ab altari regreſsi rurſum conſederunt, cantum eo, quo diximus, modo reſumunt. Precibus, cantionibuſque finitis qui munere fungitur Sacerdotis gravi tono orationem decantat, poſt quam exiguâ, quam eo fine manu geſtat, tabulâ menſam uno ictu quatit, cui pari ſono Religioſi juniores inclinatis capitibus reſpondent, arreptaſque certas chartas pictas deaurataſque ante altare exurunt. Nocte his officijs (nocturna etenim ſacra eſſe ſolent) penè exactâ, reliquam cùm Religioſi tùm domeſtici abliguriendis, quos in menſis poſitos diximus, cibis impendunt. Atque ita purgari arbitrantur animas ut Angeli fiant. Plebs autē certiſsimum reputat animas quæ ſceleſtam in corpore vitam duxerunt, priuſquam ad ſuprema inferni ſupplicia detrudantur, quod non niſi deſinente mundo futurum ſuo errore putat, à cælo in bubalorum, aliorumque animalium adigi corpora: quæ verò vixerunt innocenter, corpora induere Regum Principumque delitijs & frequenti famulitio honoratas, de corpore in corpus concedendo animarum tranſmigrationem, veterum Philoſophorum par erroribus; ſimilibuſque mille deliriis inſanit.

CAPVT VII.

De templis & certo Religioſorum Religioſarumque genere.

TOt rebus ad ſimilitudinem Religionis Chriſtianæ accedunt Chinenſes,ut non futile ſit argumentum inſigni eos naturæ lumine eſſe illuſtratos, fiatque vero-ſimilius S. Thomam Apoſtolum ſuâ prædicatione ſparſiſſe ſemina virtutum, quarum etiam num notanda veſtigia perſeverent, etiamſi in lætam meſſem adoleſcere erroribus vitiatæ & oppreſſæ non permittantur, neque verum poſſint fulgorem explicare. Nam ut non repetam, quæ ſuperioribus capitibus dixi, etiam Religioſorum & Religioſarum Catholicæ Eccleſiæ cœtus vitâ communi, clauſurâ, & obedientiâ æmulantur, quorum quarumque in omnibus civitatibus,oppidis, ipſis etiam campis ſunt frequentiſsima monaſteria.Religionum genera quatuor cognoſcuntur,veſtium colore nigro,albo,pallido & griſio qualem Minimorum monſtrant habitus,diſtincta. Quælibet ſuum habet Generalem in civitate *Taybin* ſeu *Sunteyen*,ubi Regis eſt & Concilij Regij ſedes,reſidentem. *Tricon* ipſi ſuâ linguâ dicunt. Iſte ſingulis Provincijs Præfectum, qui præſens ſit, viſitet omnes

omnes ſuæ Provinciæ Conventus, delinquentes corrigat, emendetque ſecundùm Ordinis inſtituta, naſcētia & irrumpentia vitia, adſcribit: Præfectus item Provincialis ſingulis monaſterijs ſuum velut Priorem aut Guardianum, cui omnes obediant. Generalis Præfectura perpetua eſt non niſi morte adminiſtrantis terminata, niſi ob delicta privaretur. Succeſſorem non eligunt Provinciales Provinciarumque deputati, ut Ordines Mendicantes Eccleſiæ Catholicæ obſervant, ſed Rex ejuſve Concilium conſtituit, non ſollicitantium æſtibus aut favore, ſed opinione bonæ vitæ & intuitu meritorum. (a) Serico veſtitur eiuſdem cum cæteris ſui Ordinis coloris formæque. Domo non egreditur niſi eburneâ aureâve ſede quatuor Religioſorum ſui Ordinis humeris latus. Sigillum habet, quo Ordinis negotia expediat: neque fas eſt ſubditis illi loqui niſi genuflexis. Generalibus pro ſua famulorumque ſuſtentatione opimos proventus Rex ipſe providit: monaſterijs partim Regis liberalitate, partim amplis, quas per civitates, in quibus ſunt, colligunt, eleemoſinis opulenti cenſus accreverunt. Eleemoſinas petunt euntes per plateas cantu ac ſonitu certorum inſtrumentorum; feruntque tunc ingentia ventilabra, quibus orationes inſcribuntur, quas pro peccatis populi recitare ſe ajunt, & in eadem ven-

(a) *imitentur ethnicos Chriſtiani.*

tilabra omnem,quam accipiunt,eleemoſinam conijciunt, falsâ opinione reputantes ab omni peccato animas hoc ritu expiari: Radunt omnes barbam, capitiſque capillos:habitus idem eſt omnibus formâ & colore indiſtinctus,cujus ordinaria materia eſt ſarga: communi reficiuntur mensâ, ſed cellis habitant ſeparatis,modo inter noſtrates Religioſos uſitato: roſaria geſtant ad preces parata,aliter tamen,quàm noſtra,diſtributa: in omnibus defunctorum ædibus adſunt,ut copioſiores eleemoſinas conſequantur: duabus ante diei exortum horis ad orationes velut matutinas ſurgunt, quas ad natam lucem protendunt,laudandâ attentione & vocum concordiâ; toto autē orationis tempore campanas pulſant,quas ex ſolido penè chalibe habēt totius mundi optimè maximèq; ſonoras. Ad cælū,quod Deum credūt,& ad *Sinquiam* quem talis vitæ inſtitutorem,Sanctumque reputant, preces dirigunt. Ordinem deſerere monito Generali fas eſt: ante egreſſum conjugia inire, aut cum altero ſexu agere ſeveriſsimis pænis prohibetur.Cùm religionē capeſſunt,pater aut ex conſanguineis proximus omnes illius Conventus Religioſos invitat excipitque ſolemni convivio. Primogenitis ad ordinem tranſire lege Regni illicitum,quod illis parentum in ſenectute cura & ſuſtentatio incumbat. Iſtorum Religioſorum,

rum,cum è vita decedunt,totum corpus lavant,mentum & caput radunt, ſepeliuntque, reliqui mortuum veſte lugent. Religioſo,Religioſæque pro delictis caſtigatæ nunquàm reddere habitum licet,ſed ſuſpensâ ad collum tabulâ delicti indice, quæ omnibus eſt conſpicua,perpetuâ verecundiâ damnatur. Idolis mane veſperique incenſum,Syriaco rore(a) cayolaquam (b) aliaſque ſuffituum maſſas ac ligna odorifera incendunt. Dùm novas in aquam naves immittunt, adſunt Religioſi largas diviteſque ex ſerico tunicas induti,ac in puppi orationes fundunt, ſacrificia offerunt, ſcedas varijs depictas figuris certis ceremonijs ante idola concidunt, hymnoſque ſuaviter ad ſonitum campanularum decantant: dæmonem venerantur,ac ne navibus ſit damnoſus, in prora depingunt: tandem ad ſaturitatem comedunt bibuntque. His ritibus ſanctificari naves ac proſperis navigationibus dicari firmiſsimè arbitrantur, futuras alioquin eorum omiſſione infortunatas.

C A-

(a) *Meniuy Hiſpanicè, Francicè benioin.*
(b) *cayolaque ſuffitus apud Indos maximè odoriferus.*

CAPVT VIII.

Ritus ſepeliendi mortuo: & pro eis luctus.

NOn extra propoſitum neque abs re me factu- rum exiſtimo, ſi modum, quem in mortuorum ſepultura Chinenſes ſervant, recenſeam, & ceremonijs varium & ſcitu jucundum. Vix quiſpiam expiravit, cum totum ejus corpus abluunt, optimis, quibus vivus uti ſolet, veſtibus ſuavi odore fumigatis induunt, in maximâ ædium ſede collocant. Quò accedunt ſoboles & uxor, aut pater & mater fratreſque, atque multis lachrimis magnoque planctu pro ſe quiſque ſedenti valedicunt. Poſt eos ſuccedunt ordinatim omnes conſanguinei, amici, ultimòque famuli, ſi quos defunctus habuerat, ejulatu primis, ſi non ſenſu, certè ſtudio pares. Deinde feretro ex ligno odorifero, quale copiosè omnes regni partes ſuppeditant, cadaver includunt clauduntque arctiſsimè ne fœtore moleſtiam adferat: atque ita in menſam aut duo ſcamna reclinatum in cubiculo ſtatuunt melioribus, quos habere poſſunt, pannis ornatum, ſtragulâque contegunt candidiſsimâ ad ſolum dependente, in qua cadaveris effigiem depinxerunt: in cubi-

cubiculo vel atrio, quod priori eſt proximiùs, menſam parant, ardentes imponunt cereos, pane onerant variiſque fructibus. Ita quindecim exigunt dies: ſingulis autem noctibus ſacerdotes ſeu religioſi preces in domo decantant, ſacrificia offerunt, incendunt ad cadaver plurimas pictas ſcedas mille ſuperſtitionibus, incantationibuſque; alias multas chordulis ex propoſito ad feretrum conſtitutis alligant, agitantque frequenter manibus, clamorem validum miſcentes, quo ſe animam defuncti dicunt in cælum deſtinare. Toto quindecennio menſas paratis cibis onuſtas ſervant, ut comedant ex iis, bibantque ſacerdotes, conſanguinei, amici, qui viſitatum adveniunt. Quo completo feretrum, cui cadaver includitur, in campum deferunt comitantibus conſanguineis amiciſque, ac ſacerdotibus incenſos cereos geſtantibus, ibique ſepeliunt. Mos eſt, ut mox juxta ſepulchrum pinum plantent, quam, quia ſacram habent, nunquàm excîdunt, imò nec ipſam ſcindunt aut dividunt, totum ſpolium tempori concedentes: inde fit, ut plena pinis ſint loca ſepulchrorũ. ſepulchra ut plurimùm in collibus habẽt ex lapidibus ſtructa. Qui funus deducunt, ordine procedunt qualem in proceſsionibus, ſervant Chriſtiani. Pulſant varia in eundo inſtrumẽta muſica, donec corpus humaverint, reputantque eas exequias ſolemnio-

res quibus plures interfuerint ſacerdotes ac muſici, ideoque ambitioſæ præcellentiæ conatu immenſos illis ſumptus impendunt. Ad inſtrumentorum ſonitum orationes idolis decantant, tandemque ſuper ipſum ſepulchrum multas comburunt ſcedas, in quibus famuli, equi, aurum, argentum, ſericum, ſimiliaque depingebantur, arbitrantes defunctum iſta omnia in altera, ad quam tendit, vita poſſeſſurum. Neque minus deplorando errore magnis gaudij teſtificationibus & epulis inferunt in ſepulchra defunctos, putantes ſimili animam lætitiâ in cælo ab Angelis & Sanctis ſuſcipi, quali ipſi corpus deponunt.

2. Lugent autem mortuum conſanguinei, famuli, imò & familiares luctu aſperrimo: Tunicas namque ex rudi lana corporibus fune circumcingunt, & pileola ex eodem panno ſumunt fimbrijs ad oculos procurrentibus. Hoc modo patrem aut matrem integro lugent anno, nonnunquàm duobus. Si filius alicujus civitatis aut Provinciæ Præfecturâ fungitur, petito Regis conſenſu illâ ſe ut plurimùm abdicabit, quòd honorificentiſſimum putant. Qui pluribus ſanguinis gradibus à defuncto recedunt aliquot menſibus tincto lugent lino: amici eodem quidem habitu, ſed ipsâ humatione non diutiùs.

CA-

CAPVT IX.

Matrimoniorum ritus.

1. SIngulari in hoc regno ſollicitudine parentes pullulantem prolium libidinem, priuſquam in vitia ſe diffundat, feſtinis cohibent conjugijs, quâ curâ magnum illud ſcatenſque opibus & delitijs regnum, paucioribus, quàm regna eſſe ſolent exigua egenaque, vitijs carnis eſt obnoxium. Probanda hæc Chriſtianis eſt cura: ſed damnanda, quæ ſæpè gliſcit, curæ exorbitantia, quâ vix natas, imò nondùm natas proles connubiis deſtinant, publiciſque confirmant tabulis.

2. In toto hoc regno viciniſque ad Philippinas uſque inſulas locis mos eſt, ut uxorem dotet maritus. Conjunctionis matrimonialis tempore, ſponſæ pater inſigni feſtivitate ad ſuas ædes invitat, excipitque convivijs novi generi conſanguineos & amicos: eandem ſequenti die celebritatem conſanguineis novæ nuptæ reddit ſponſi pater, aut ex ſuperſtitibus proximior. Epulo finito, maritus uxori, præſentibus cunctis, dotem tradit, quam illa patri aut matri, ſi adhuc ſuperſint, in laborum, educationiſque compenſatio-

nem conſignat. Adeoque in Chinæ,finitimiſque regnis, parentum divitiæ pro numero filiarum multiplicantur.Filiarum dotem,ſi premat neceſſitas,conſumere parentibus fas eſt:ſin autem, ad filiam redit, ad ejus libitum ſeu expendenda ſeu ejus danda liberis. Vxorum numerum aut voluntas viri determinat;aut media:tot certè, quot alere poteſt, accipere cuilibet licet. Sorori aut fratris ſororiſve filiæ jungi lex ſeverè vetat. Ex uxoribus, quam primam ſibi accepit, legitima habetur: cæteræ, concubinæ & quaſi famulæ reſpectu primæ.Cum prima vivunt,reliquas in diverſas domos diſtribuunt, aut, ſi ſint mercatores, in diverſas civitates. Mortuo patre in maximam bonorum partem ex principali uxore primogenitus ſuccedit:cætera ex æquo ſequentes,ſeu ex principali,ſeu ex aliis uxoribus ſuſcepti filij partiuntur. Si prima aut filium non genuit, aut genitus ante patrem deceſſit, dicta major bonorum pars ad primum filium tranſit ex quacumque uxore natum:adeoque raro ſine hærede moriuntur.

3. Adulteria tùm ob ſolitudinē & honeſtatem fœminarum, (a) tùm ob infamiæ, quæ viros ſequitur adulteria tentantes, notam, ſunt rariſſima. Adulteros in flagranti delicto maritus adulteræ impunè occidit, non tranſacto delicto: ſed tunc cauſa ad judicem deferenda

(a) *Prima parte cap. 10. nu. 4.*

fereda,apud quem probato ſcelere crudeli ſuper coxas fuſtigatione (caſtigatio eſt in China uſitata) abſolvuntur: permiſſum tamen marito, conjugem adulteram, ut datam illi dotem recuperet, in mancipium vendere. Non deſunt verò inter illos, non obſtante hóc legum & conſuetudinis rigore, qui propter intereſſe in adulterio diſsimulant, aut adulterandi occaſiones quærunt.

4. Ajunt in Provinciis verſus Tartariam atque in ipſa Tartaria ſervari in contrahendis matrimoniis modũ admodùm peregrinum. Pro-reges aũt Præfecti certũ determinant tempus, quo aut inire matrimonia aut religionem capeſſere maſculi fœminæque teneantur. Tempore, quod ſtatuerunt, completo, accurrunt præfixo die ad unam civitatem omnes matrimonia inituri, ubi ſe duodecim ſenibus viris principalibus à Rege ad id commiſſis præſentant, qui nomina qualitateſque omnium ſcripto notant: ſpecialiter de mediis, quę quilibet ad dotandam, quam habiturus eſt, uxorem adferre poteſt. Deinde numerum ineunt maſculorum fœminarumque: Si illi has numero excedant, aut hæ illas, ſortiuntur, remittuntque ſuperfluam in ſequentem annum numerum tunc præ cæteris connubio jungendum. Poſteà ex duodecim ſex diſtribuunt in tres partes maſculos: in una divites nullâ ingenij

aut ſpeciei conſideratione conſtituunt; in ſecunda illos qui mediocria habent media; pauperes in tertia. Alij intereà ſex ſeniores in diſtribuendis ſimiliter fœminis occupantur, in prima formoſas ponunt; in ſecunda, formâ mediocres; in tertia turpes. Partibus ita diſtributis, divitibus formoſas conjungunt, pauperibus turpes, mediocribus pecuniâ mediocres formâ. Ita omnibus unâ die conjux datur, quamquam non omnibus pro voto. Hæc conjugia in ædibus Regiis neceſſariâ ad id ſupellectile præparatis quinquaginta dierum ſpatio ſolemniter celebrant, quibus exactis, ad ſuas quodlibet par conjugum ædes recedit. Inſolitus certè contrahendorum matrimoniorum mos, ſi, ut ajunt, verus. Nihilominus inter principes aut nobiles familias non ſervatur; in illis quilibet pro ſe ſolicitus ad ſuum guſtum procatur nullâ alterius conſuetudinis obligatione.

5. Rex Chinæ connubio junctus, triginta ſuprà uxorem ex præcipuis totius regni fœminis deligit concubinas, quæ in Regis degunt palatio, donec mortuo Rege ſolitiſque pro eo exequiis perſolutis, ejus hæres & ſucceſſor ditisſimè veſtitas & gemmis ornatas duci faciat ad unam ex tribus aulis, quas libro tertio cap. 2. deſcribemus, ibique in præparato magnificè throno conſidere, facie, ut dignoſci nullatenus poſſint,

ſint, velatas. Ad quas intromittuntur triginta præcipui Regni Principes,quos Rex teſtamento deſignavit, qui ſeu antiquitatis, ſeu nominationis à Rege factæ ordine,ſinguli unam ex illis manu prehendunt, deducuntque, ut invenerunt, coopertam ad ſua palatia, ubi eas accipiunt in uxores, plurimumque toto vitæ tempore colunt. His annuos cenſus, quo-ad vivunt, abundè Rex ſucceſſor teſtamento ſuperioris defuncti attribuit.

6. Olim Chinenſes Reges filios aut conſanguineos connubio juncturi in palatio ſolemne inſtruebant convivium,invitantes ad illud omnesPrincipes regni, mandanteſque ut filios ſecum & filias adducerent. Mandato non ſegniter parebatur,quolibet prolium ornatu pro gloria & victoria certante. Finito convivio quilibet Princeps ex numero dominarum ordine ætatis conſiſtentium,ſibi, quæ placuerat,deligebat in uxorem; nec aliter Regis filiæ ex Principibus virum. Verum hæc nunc conſuetudo obſolevit aliâ matrimoniorum ratione introductâ, Principibuſque conſanguineas, quæ extra ſecundum ſunt gradum, aſſumentibus, & nec ſecundo quidem gradui aliquando parcentibus.

CA-

CAPVT X.

Nullus in toto Chinæ regno in plateis aut templis egenus vagatur: Modus quo Regis juſſu providetur impotentibus ad laborem.

1. INter plurima, quæ dicta ſunt dicenturque, bonæ adminiſtrationis publicæ in China argumenta, non inter minima annumerandum eſt ſtudium arcendi à vaga per plateas & templa ſtipe pauperes, & ſuſtentandi ad laborem impotentes. Magnis pœnis ipſis pauperibus Rex, ne ſtipem publicè colligāt, vetuit; majoribus, ne permittant aut dent petentibus, ſed judici denuntient, ipſis civitatibus, oppidis, pagis. Contra hujus legis infractores ſpecialem in ſingulis civitatibus, oppidiſque Iudicem deſignavit, qui uni licet iſti rei incumbat, ob civitatum & oppidorum magnitudinem, pagorum multitudinem, & frequentiam populi, quibus ex cauſis ſuppetere ſolent indigentes, vix quieſcendi tempus ſibi ſuffurari poteſt. Nam &, lex ut ſervetur, & pauperum neceſsitatibus ut ſuccurratur, illi curandum. Primō, quo adminiſtrationem capeſsit, die, publico edicto, ut parentes, quibus aut impotens proles naſcitur, aut talis accedente poſteâ

caſu

caſu redditur, ſibi mox infortunium prolis denuntient, jubet, ſecundùm Regis Conciliique voluntatem proviſurus. Statutum porrò eſt, ut allatus alterutrius ſexus infans, ſi conſideratâ defectus qualitate aliquod cum eo opificium exercere poſſe judicetur, ad quale applicandus ſit, illius Iudicis ſententiâ determinetur; quod parentes ſuo tempore nullâ declinatione exequuntur: Defectu verò omnem ad laborem facultatem ſuperante, parentibus, ſi media ſuppetant, ut eum ſuſtentent, idem judex indicit. Si natum alere parentes pauperie prægravante non poſsint, alendi debitum in proximos conſanguineos tranſmittit, aut in unum ſi unus ſufficit, aut in plures, ut communibus expenſis ad ſuſtentationem concurrant. Omnibus deficientibus, ſuo illos Rex ſumptu in hoſpitalibus ad id per ſingulas civitates magnificentiſſimè exſtructis ſuſtentat. Idem veteranis militibus locus adſignatur. Neceſſaria illis inſigni ſolicitudine miniſtrantur. Singulis hoſpitalibus præcipuus aliquis præeſt, ſine cujus licentiâ è ſepto domus egredi nulli fas eſt: Licentia nunquam datur, raro petitur; ſuppetentibus largiter aliorum curâ ad victum & veſtitum requiſitis: ipſis inſuper pauperibus, & ſenibus ad ſuum cuilibet oblectamentum & quæſtum alere permittitur gallinas & porcos. Præfectum Xenodochij exactisſimè Iudex

viſitat; Iudicem alius ex aula & Regio Concilio Commiſſarius: qui Iudicem, ſi deſit officio, dimittit, rigoroſisſimeque caſtigat, ideoque quilibet in injunctum ſibi munus magnâ curâ incumbit.

2. Cæcos in pauperum alendorum numero non ponunt, qui molere in piſtrino, trahere in officina ferraria folles, aliave exercere opera, quæ perfici ſine oculorum uſu poſſunt, jubentur. Puella oculis orba corpus in lupanaribus exponit, ſuntque tales quàmplurimæ, ut proprio loco (a) dicetur. Iis veſtiendis, poliendis, comendis vetula intendit ætate ad ſuſtinendam virorum libidinem ulterius inepta. (b) Ita curant Chinenſes, ut in toto regno, maximo alioquin populoſiſsimoque, nemo publicè ſtipem roget, nemo privatim paupertatem ſentiat: quemadmodum experientiâ PP. Auguſtiniani, & Franciſcani, aliique cum illis comites in Chinam ingreſſi obſervârunt.

(a) *Hac parte lib. 3. cap. 20.* (b) *Ita vita quidem ſuſtentatur, ſed morum, & animæ iacturâ; hanc fugiant Chriſtiani.*

PAR-

PARTIS PRIMAE HISTORIÆ CHINENSIS

LIBER TERTIVS.

De ſtatu Chinenſium politico

CAPVT. I.

De Regibus eorumque nominibus.

1. QVod capite quarto libri primi promiſimus, hîc exequemur, à *Vitey*, qui primus Chinam in Regnum formavit, Regum ſucceſſionem deducentes ad eum, qui impræſentiarum ejus ſceptrum moderatur: numerus tamen Regum, numerus item annorum, qui ab ejus exordio effluxerunt & quo in illud ſucceditur, modus, ibidem legentur.

2. *Vitey* itaque regno initium dedit, in Chinenſium annalibus ſingularem adeptus laudem. Memorant inter cætera altum fuiſſe ſeptem menſuras in China uſitatas, quarum quælibet duabus menſuræ Hiſpanicæ tertiis par erat, ita ut deductâ ad computum Hiſ-

panicum ratione,ejus altitudo quatuor menſuras (varas Hiſpani dicunt) duaſque tertias complecteretur; ſex autèm palmos latitudo humerorum: Factis tamen non minor, quàm corpore. Ducem exercitus habuit *Lincheo*, fortiorem, incertum,an prudentiorem, quibus virtutibus non tantùm, ut omnes in unum ſtatum Provinciæ coirent, ſed ut inſuper timeretur,effecit. *Vitey* Regi inventionem adſcribunt veſtium, tincturæ, navium,ſerræ,maximè verò architecturæ & ædificiorum, quæ multa exſtruxit magnificentiſsimaque, quæ etiam-num nominis illius memoriam conſervant. Invenit & ſerici rotam. Aurum, gemmas,lapides pretioſos,auream,argenteam,& byſsinam telam pro corporis ornatu primus ſumpſit: Populum in civitates,oppida,ac pagos diſtribuit;opificia præſcripſit, mandato addito, ut idem,quod pater,filius exerceret, niſi causâ Regi aut Regni Præfectis cognitâ aliud cócederetur, quod rarum eſſet. Opificia per plateas & vicos ſeparavit, ut qui unius domus officinam in initio plateæ etiam longiſsimæ viderit, in tota reputare debeat nullam eſſe alterius generis. Præcipuam verò à ſuis laudem conſecutus eſt, quod nulli fœminæ otium indulſerit, ſed quælibet mariti opificio laboraret, aut fuſum tractaret acumve; à qua lege ne ſuam quidem uxorem exemit. Ajunt præthereà ſapientiſsimum

mum fuiſſe,magnumque Aſtrologum,qui dum iuxta herbā quam in area palatij habebat,ambulando tranſibat,ex certo ejus motu conjicere poterat,ſi quis mali aliquid adverſus eum machinaretur. Tranſeo, quæ de *Vitey* Chinenſium narrant annales,plurima,ne &in nimiam molem opus excreſcat, & ridendis idololatrarum ſomnijs lectorem fatigem, contentus ex ſingulis quædam libaſſe, cæteris ejus judicio permiſſis. Ex quatuor,quas habuit,uxoribus filios ſuſcepit quinque & viginti. Imperium centum tenuit annis. A Rege *Vitey* uſque ad Regem *Tzinzom*,qui Chinæ,quo Tartariæ jungitur, latus longiſsimo muro cinxit, (a) ex primi proſapia centum & ſedecim. Reges interceſſerunt, anni verò bis mille ducenti quinquaginta ſeptem. Non aliorum, quamquàm poſſem ex ipſorum annalibus,nomina ponam, quàm quæ neceſſaria ad producendam ad præſentia tempora Regum ſeriem videbuntur.

3. Regis *Vitey* ſtemma *Tzinzom* concluſit, ſtructor immanis muri, quo Tartaros undique in regnum Chinæ irrumpentes arceret. Vaſtos conatus incredibili ſubditorum ſtrage promovit, ipſe nece ſuâ ſuorum manibus, quas tot mortes irritaverant,illatâ ſolvit anno regni quadrageſimo,eodem furore in filium Regis, *Agutzi* dictum, prolato. (b)

(a) *Lib.1.cap.9.nu.2.* (b) *Ibidem.*

rus. Hæc initia tyrannidis, de qua dicturi ſumus, fuere, regnoque in tres factiones diſtracto, plures quidem præcipuique *Laupy*, patruo exſtincto, ſequebantur: Non deerant tamen *Soſoc* fautores incentoreſque, neque *Cincoan* ſocero ſui. Ita ad aliquot tempus Chinæ regnum diviſionibus agitabatur, donec *Cuythey* ex *Laupy* natus regnum adeptus, illud novâ *Cimbutey* rebellione ab eodem occîſus infeliciſſimè amiſit. Tunc rurſum, quadrageſimo unoque, ex quo diſcerpi cœperat, anno, imperium coaluit, ſolo *Cimbutey*, annis viginti-quinque imperante, ejuſque poſt illum filio *Fontey*, annis ſeptemdecim, ac quindecim ex eadem ſtirpe Regibus, quorum regna centum-ſeptuaginta ſex duraverunt annos. Vltimum *Quiontey* dictum pepulit rebellis *Tzobu*, qui octo Chinæ ex ſuo ſtemmate Reges dedit: qui regnarunt annis ſexaginta duobus. Adverſus *Sutey* ex illis poſtremum *Cotey* rebellavit, ex quo quinque orti Reges Chinam annis viginti quatuor adminiſtrarunt. Ex his ultimum *Otey* occidit *Dian*, produxitque per quatuor ex ſua familia Reges imperium ad annum quinquageſimum ſextum.

Eâdem viâ ad diadema pervenit *Tym*, tranſtulitque in quinque ſequaces ex ſe Reges ad triginta unumque annos. Pari violentiâ *Tzui*, ad ſolium aſcendit,

dit,quod tres ſucceſſivè ex eo Reges triginta-ſeptem annis poſſederunt, tandem & ipſi à *Tonco* pulſi. *Tonco* non minori felicitate quàm prudentiâ rexit eiſdem qualitatibus in hæredes. Reges viginti & unum per annos ducentos nonaginta quatuor transfuſis. Ex qua proſapia poſtremus *Tronco* fuit, qui *Bauſan* formoſiſsimam fœminam quæ priùs patri nupſerat, ex monaſterio extractam cōjugio ſibi copulavit, verùm ſacrilegium illatâ per ipſam,quam extraxerat uxorem nece luit. Rexit tunc illa annos omninò quadraginta unum magnis ſceleribus obnoxia, extremæ præſertim impudicitiæ. Vagâ libidine ſe præcipuis Regni ſubſtravit:& quæ honeſtatem ex animo proiecerat,regiæ dignitatis,quam in duobus maritis,quam in ſe ipſa venerari debebat, oblita, vilem hominem, cum quo liberius explere libidinem poſſe videbatur, in coniugem aſſumpſit, cæsâ ante nuptias omni, quàm conſequi poterat,prolè maſculâ prioris mariti, ſobrino ſuo deſtinans imperium. At verò ſubditi, quibus iam ob profuſam libidinem deſpecta & ob parricidalem crudelitatem odibilis eſſe cœperat, non ignari quò Regina collimaret, quendam Tronconis nothum, qui Bauſæ ſævitiam fugerat, conquiſitum communi conſenſu Regem ſtatuerunt. *Tautzon* huic nomen fuit,qui debitas de novercæ ſceleribus pœnas

ſumpſit, ut quæ perditis moribus labefactare cœperat Chinéſium modeſtiam, exemplo ſupplicij repararet. Ex *Tautzon* ſeptem Reges nati regnârunt annos centum & viginti. Vltimum *Coucham* dictum *Dian* pepulit, quem unus ex eodem ſtemmate ſecutus octodecim cum *Dian* imperij annos complevit, ab *Outon* deinde pulſus. *Outonis* progenies tres habuit Reges annos imperij non ampliùs quindecim. Adverſus poſtremum rebellavit *Outzim*, qui, ejuſque ex eodem ſanguine ſucceſſor annos novem tres menſes regnarunt. Succeſsit rebellione *Tozo*, ipſe atque ejus filius breviſſimo quatuor annorum ſpatio imperio defunctus. filium in prœlio *Anchiu* occidit, occupatumque regnum tam infelici ſorte adminiſtravit, ut ipſi duobuſque ex eadem familia ſucceſſoribus non plures decem annis tribuantur. Succeſsit, ultimo trucidato, *Zaytzon* ex primi Regis *Vitey* ſtemmate, quod poſt longas ambages rurſus ad ſceptra admotum, in ſeptemdecim Regibus illa tenuit annos, ſupra trecentos, viginti. Poſtremus *Tepym* vocabatur, eo infortunatior, quod amiſſum regnum exteris cedere cogeretur. *Vzou* namque Tartarorum Imperator, totam Chinam maximis copiis in poteſtatem redactam, poſteris ſuis hæreditariam fecit. Regnârunt in ea novem Reges Tartari annos nonaginta tres, indigenas atroci tyrannide & ſervitute

vitute opprimentes, nonus tamen *Tzintzoum* ſuperiores omnes crudelitate ſuperans laceſsivit Chinenſium deſperationem, maximum ordinariè adflictorum robur, atque ipſis adfligentibus ſuperius. Chinenſes certè *Hombu*, ex vetere Regum proſapia viro validiſſimo & audaci, Rege conſtituto, ejus auſpiciis & ductu, exercitu comparato, Tartaros aggreſſi, eos licet obſtinatiſſimè pugnantes, cæſis multis millibus, toto regno ejecerunt. *Hombu* præſentem Regum ſtirpem ſtabilivit, ex qua poſt ducentos annos, qui modò imperat, duodecimus, fratre ejus lapſu ex equo extincto, ſucceſſit *Bonog* nomine, ætate viginti trium annorum nondum in Hiſtoriis Chinenſibus notus. Ferunt tamen ſubditi eum eſſe compoſitum corpore moribuſque, magnum ingenio, ſuis charum, amantem juſtitiæ, matrem habere ſuperſtitem, genuiſſeque ex cognata coniuge filium. Regis *Hombu* poſteri, multas Tartaris, à quibus muro (a) ſeparantur, extra regnum ejectis terras ademerunt.

5. Deus ſuâ illos miſericordiâ ad veræ fidei notitiam adducat, compleatque quoddam creditum apud eos vaticinium, *venturos* ſcilicet *ex remotiſsimis regnis homines oculis grandibus & promiſsis barbis* (quo ſignari Chriſtiani videntur) *à quibus ſubigentur.*

6. Tanta eſt Regis apud Chinenſes veneratio, ut in

(a) 1. *Parte lib. 1. cap. 9.*

in omnibus Provinciarum, in quibus Rex præſens non eſt, præcipuis civitatibus, in quibus ſedem fixere Pro-reges, inciſam aureæ tabulæ Regis habeant effigiem, aureo panno contectam, cui quotidie *Loitias* ſeu nobiles docti, & miniſtri iuſtitiæ exhibere eandem, quam Regi deberent, reverentiam obligantur. Singularum autem feſtivitatum, quæ ſunt omnium menſium novilunia, primis diebus remotâ cortinâ, omnibus oſtenſa tabula cultu Regi debito honoratur. Tituli Regis ſunt, *Dominus mundi & cæli filius.*

CAPVT. II.

Regis Chinenſis palatium: Civitas in qua ordinariam fixit ſedem: nullus ibi Dominus ſubditos habet hæreditariè ſibi ſubjectos.

α. ORdinariam Rex ejuſque prædeceſſores ſedem in civitate *Taybin* ſeu *Suntien* in Provincia *Paguia* fixit, ſeu majori ad occurrendum Tartarorum, quibus præ cæteris Provinciis vicinior eſt, incurſionibus provocatus opportunitate, ſeu illectus ſaniori aëris temperie, & abundantioribus vitæ humanæ delitijs, quæ ipſo civitatis nomine deſignari videntur. *Suntien* namque eorum linguâ idem eſt quod latinâ,

tinâ, *Civitas cæleſtis*. Et, quod incredibilem Europæis magnitudinem ejus commendat, diameter ejus tantus eſt, ut à porta ad portam forti equo tranſiri vix uno die poſsit. Nec minori ſuburbia ſpatio procurrunt. Et licet fidem, quod dixi, nonnullis excedere videbitur, eſt tamen infrà Chinenſium narrationes de magnitudine divitijſque huius civitatis nullâ diſcrepantiâ concordes: quòd validum eſt veritatis argumentum. Ajunt tanto eſſe populo (aulicis civibuſque indifferenter computatis) frequentem, ut urgente neceſsitate bis-centies-mille ad bella idonei educi poſſent, medietate numeri in equites diſtributâ.

2. Ad civitatis ingreſſum ab Oriente maximum magnificentiſsimumq; Regis palatium eſt; in quo, tametſi alterum in meditullio civitatis ac tertium juxta menia ad Occidentem habeat, degit ut plurimum. Magnitudo eius raritateſque tantæ ſunt, ut illi, etiam perfunctoriè, luſtrando vix quatuor ſufficiant dies. Septem cingitur validiſſimis muris eâ latitudine à ſe invicem ſeparatis, ut interiectum inter unum aliumque ſpatium decies mille milites, quot ibi perpetuò excubias agunt, non incommodè capiat. Septuaginta novem aulis diſtinguitur, artificio, incertum, an ornatu præſtantioribus. In illis magno numero fœminæ ad Regis obſequia loco epheborum ac nobi-

lium virorum deputatæ. Præ cæteris aulis maximè quatuor excellunt ad audiendos regnorum, Provinciarumque Legatos ſervatæ. In eas etiam præcipuos regni, ſi quando ſtatus convocet, admittit. Rariſsimi tamen iſti conventus ſunt, Rege ſtudiosè curante ne ab aliis quàm domeſticis videatur, quin imò his quoque non aliter ferè quàm per vitream feneſtram ſit conſpicuus Prima iſtarum quatuor ex aurichalco aula eſt egregiâ arte intercurrentibus ſtatuis elaborata. Secundæ pavimentum tabulatumque argento tegitur. Tertia ex auro eſt puro-puto, quod doctiſsimus finxit encauſtes. Quarta divitiis ſuperat præcedentes omnes, in qua imago quædam reſplendet potentiæ Chinenſis, quam propterea *theſaurum Regis*, nec immeritò, indigitare ſolent, nec enim maior toto uſpiam orbe notus putatur. Sedes in ea eburnea carbunculis & lapidibus inæſtimabilis pretij inſita, quâ pro maxima Rex utitur majeſtate, noctis obſcuritatem non minus, quàm multa luminaria innato fulgore depellit: ipſi ex lapillis pretioſis mirabili arte & induſtria compoſitis muri exurgunt. Vnico verbo dixero aulam hanc eſſe quoddam pulchritudinis & divitiarum Chinenſium compendium. Audit in his, ut diximus, aulis Chinenſis Rex Legatos Regum, & Rerumpub: ex aulæ, in quam illos admittit,

tit,qualitate æſtimans conditionem eorum à quibus mittuntur.

3. Habet item hoc palatium quidquid ad oble-ctamentum vitæ humanus concipere intellectus poteſt,ne Regi, qui vix unquam ex eo egreditur, Reginiſque aliqua deſit pars recreationum. Regis ſolitudinem, quam præſentes à majoribus velut hæreditariam acceperunt, aut ſtudium majeſtatis, aut timor proditionum ſatis in China frequentium introduxit ſtabilivitque,quam tàm pertinaciter nonnulli ſervârunt,ut,die coronationis exceptâ, nūquàm prodierint in publicum. Supra hanc curam decem milium millia diu noctuque intra palatij,ut dictum eſt, muros ad cuſtodiam Regis excubant; multi in areis palatii,gradibus,aulis,alijſque partibus.Complectuntur palatij muri varios hortos,pomaria,ſylvas ad omne venationum genus, ſtagna aquâ piſcibuſque plena,ut non unum dumtaxat putes palatium, ſed plumas in campis recreationum domos.

4 Nullus in toto regno Dominus (quod & de rcia memoriæ produnt)in ullos ſubditos hæreditariam habet juriſdictionem:& quidquid alicui Rex in obſequiorum aut adminiſtrationis tribuit remunerationem, illius, qui accepit, morte ad Regem t, niſi novâ liberalitate filiis concedatur. Solum ad

ad poſteros patrimonium & ſupellex tranſit,cautione non imprudenti, ne aucti potentiâ & opibus vaſalli ad proditiones rebellioneſque animétur. Proregibus, Præfectis,Centurionibus Rex ſtipendia, quæ abundantiæ potiùs quàm egeſtati ſint propinqua, liberaliter conſtituit,ut accipiendorum munerum, quorum deſiderio corrumpi juſtitia ſolet, neceſsitatem excludat, additis ſeverè in accipientes, licet minima, pœnis. (a)

CAPVT III.

Solventium tributa in ſingulis Provincijs numerus.

1. EX Regni magnitudine & frequentia populi non erit difficile adhibere fidem, ijs quæ de ſolventium tributa numero ex libris rationum quas ipſi recipientes ſcripſerunt, dicturi ſumus. Nec illis tamen pauciores ęſtimant à tributis immunes,ut ſunt omnes *Loytias*, juſtitiæ adminiſtri, terrâ marique milites.

2. Tributa in Provincia *Paguia* ſolvunt duo hominum milliones ſeptingenta & quatuor millia.

In Provincia *Santon* tres milliones & ſexcenta millia.

(a) *Part. 2. lib. 1. cap. 25. nu. 1.*

In Provincia *Foquien* duo milliones quadringenta
ptem millia

In Provincia *Olam* duo milliones ducenta quadra-
inta millia.

In Provincia *Cynſay* tres milliones trecenta octua-
nta millia.

In Provincia *Suſuam* duo milliones & quinquagin-
millia

In Provincia *Tolanchia*, quæ eſt totius regni maxi-
a, quamque cum Provincia Pagüienſi Rex imme-
atè (a) gubernat, ſex milliones nonaginta mil-
.

In Provincia *Canſay* duo milliones trecenta quin-
e millia.

In Provincia *Oquiam* tres milliones octingenta mil-
.

In Provincia *Aucheo* duo milliones octingenta qua-
or millia

In Provincia *Honan* millio & ducenta millia

In Provincia *Xanton* millio nongenta quadraginta
atuor millia.

In Provincia *Quicheu* duo milliones triginta qua-
or millia.

In Provincia *Chequeam* duo milliones ducenta qua-
ginta quatuor millia.

(a) 1. Parte lib. 1. cap. 7.

In Provincia *Sancij* omnium minima millio ſexcenta ſeptuaginta duo millia quingenti.

Ex quo computu conſtat ſolventes tributa eſſe quàm plurimos, nimirum 39754500. regnumque, quod ſæpè in hac hiſtoria notavimus, maximum, quod omnia, quorum libri meminerunt, excedit. Deus illos ex ſæva dæmonum tyrannide ereptos ad ſui ſancti Nominis cognitionem & cultum ſuâ benignitate adducat.

CAPVT IV.

Tributum quod ex omnibus Provincijs Rex accipit.

1. NVlla in toto Orbe gens, ſub Chriſtianis ſit ſeu Mauris,ſeu Ethnicis Principibus,minus ordinarijs tributis, quàm Chinenſis, gravatur, nam qui familiam alit non plus duobus *Maſes* [a] in ſingulos annos pendit: ab extraordinarijs verò tributis ne terræ pugillum liberum poſsident.Adeo ut hæc atque obſequia perſonalia duriſsima faciant,ut ſervituti quàm libertati ſint propinquiores. Regentium item iugum intolerabile, ut vero-ſimile ſit libertatis Chriſtianæ ſuavitate, ſi ibi prædicetur, non difficulter alliciendos.

([a]) *Duo maſes idem eſt quod in Hiſpania duo regales.*

2. Ex

2. Ex tanta tamen tributi, à quo etiam bona Chi-
enſium pars eximitur,(a) exiguitate, adjunctis vecti-
alibus & mercium luſtrationibus aliiſque cenſibus,
nmenſa illa, quam modò ſubjungam, quotannis
roventuum ſumma pro Rege Regioque palatio ex-
eſcit. Extra quam ſummam ſunt ſtipendia Pro re-
im, Gubernatorum, miniſtrorum juſtitiæ, mili-
m: ſtruendorum & reparandorum pontium, mu-
rumque publicorum expenſæ: bellicorum appara-
um ac commeatuum terrâ marique ſumptus.
olùm, quæ ſequitur, regiorum proventuum eſt
tio ex libris Cameræ-computus ſtudioſiſſimè ex-
cta.

3. Auri puriſsimi quatuor milliones ducenta quin-
aginta ſex millia nongenta *taes*. Vnum *taes* decem
galibus & viginti quatuor *maravedis* Caſtellanis
lore par eſt.

Argenti puti tres milliones centum quinquaginta
a millia, ducenta novemdecim *taes*.

Ex gemmis quæ varijs illius Regni locis plurimæ,
et non admodum rotundæ, eruuntur, ordinariè duo
lliones ſexcenta triginta millia *taes*.

Ex lapidibus pretioſis omnis generis è terræ viſce-
us extractis millio quadringenta ſexaginta millia
.

(a) *Vide cap. præced.*

Muſco odorifero & ſuccino millio triginta quinque millia *taes.*

Ex vaſibus fictilibus, quæ porcelana Europæi vocamus, nonaginta millia *taes.*

4. Habet præterea terras eâ conditione ſubditis datas, ut aliquam ſed exiguam frugum & fructuum, qui ex illis colliguntur, partem Regi ferant. Ex his ad Regem proveniunt, ut ſequitur.

Orizæ, quæ commune eſt Chinenſium & finitimorum alimentum, modiorum (a) ſexaginta milliones centum ſexaginta unum millia octingenti triginta duo.

Modiorum hordei viginti nouem milliones trecenta nonaginta unum millia, nongenti octuaginta duo.

Modiorum tritici, quale eſt in Hiſpania triginta tres milliones centum viginti millia ducenti.

Modiorum ſalis viginti quinque milliones trecenta quadraginta millia, quadringenti.

Modiorum Maizu (b) viginti milliones ducenta quinquaginta millia.

Modiorum Milij Indici viginti quatuor milliones.

Mo-

(a) *Hanegas ponunt Hiſpani.* (b) *Maiz frumenti genus eſt Indis notiſsimi.*

Modiorum Panici quatuordecim milliones du-
enta millia.

Aliorum granorum leguminumque quadraginta
illiones ducenta millia.

5. Recipit inſuper Rex byſſinos pannos quatuor-
ctim ulnarum ſingulos, ſupra ducenta quinque mil-
a, quingentos nonaginta.

Serici nondum elaborati quingenta quadraginta
orarum millia.

Goſſipij imparati millia librarum trecenta.

Stragulas graviores coloribus intertextas, ſupra
tingenta millia, quadringentas: ſtragulas verò te-
iores èx goſſipio ſexcentas quadraginta octo ſupra
cenca quatuor millia.

6. Omnia hæc regio, quod ampliſſimum eſt, de-
ntur palatio (de quo cum Chinenſes ad Iuſulas
ilippinas appellentes maxima referant, nihil tamẽ
ejus magnificentia ſe dixiſſe reputant, concordi
nẽ omnium narratione, adeoque certo veritatis ar-
nento) aut regijs theſauris, quos multis divites ad-
nant millionibus, cenſuum immenſitate pro aſſer-
nis veritate conſpirante.

CAPVT V.

Milites in quindecim Provincijs ad bella ſemper parati: eorum ad excubias vigilantia.

1. NOn minori,quàm quâ in pace juſtitiā colunt, ſolicitudine curāt bellicos apparatus adverſus quoſcumque ſeu internos ſeu externos hoſtes,qui vel machinationibus turbare,vel vi impetere regnū molirentur. Nullus multis annis vehementior Tartaro hoſtis fuit, quem ajunt modò non tantùm non ſpernere,ſed pro beneficio computare Chinenſium amicitiam,& quâdam ſubiectionis ſpecie venerari. Et quamquam neq; fuerit à multo tempore ipſis ullum alicujus momenti bellum, is tamen eſt ad illud apparatus,quaſi potentiſſimos mox in regnum irrupturos hoſtes formidarent,aut aggredi velle viderentur; ut ex his, quæ ſubnecto, fiet perſpicuum.

2.In ſingulis Provincijs Præſidem Rex habet & cōcilium bellicū, Duces exercitus & collectores militū. In ſingulis porrò civitatibus centuriones & præſidia, qui eas cuſtodiant defendantque. Ideoq; illas circumeunt, excubias die noctuque diſponunt non ſegniùs quàm ſi ipſis portis inimicus immineret. Diſciplinâ militari

militari nulli genti cedunt,licet animo roboreque,uti
dfirmârunt ſocij Auguſtinianorum milites, (a) non-
ullis inferiores. Ad omnium civitatum portas mili-
um cohortes excubant, qui ingredi egredique ſine
ræfecti civitatis conſenſu ſcripto oſtenſo volentes
rohibent. Portas claudunt aperiuntque Centurio-
um deſignatione, quam indies inductis tabulis exa-
tam ſignatamque ſuis manibus mittunt. Ex portis
unimenta civitatis æſtimant:in illis tormenta belli-
diſponunt,quibus ut plurimùm junguntur domus,
quibus conficiuntur.Sub veſperam clauſuri portas
utinum rimis ſuperinducunt, adduntque ſcedam
illo Præfecti civitatis annulari notatam, nec priùs
anè eas aperiunt, quàm ipſe Præfectus aut Præfecto
eliſſimus amicus, an ſceda permanſerit inviolata,
plorârit; adeoque non niſi orto jam Sole portæ re-
antur,exactiſsimâ ad civitatum cuſtodiam diligen-
,ſed itinerantibus non raro importunâ: quaprop-
, qui ad iter feſtinant, veſperi ad ſuburbia ex-
it.

3. Arcibus aut munimentis non utuntur,ſed muris
pliſsimis (b) & collibus: in muris noctu excubito-
ſtatuũt & tertiâ horâ alternãt,interea & Officiales
gnò militum comitatu plateas civitatis, muros &

colles

(a) *De quibus vide part. 2. lib. 1. varijs locis.* (b) *Vide part. 2. lib. 1.*

colles circumeunt. Centuriones aſſumere ex ijſdē Provincijs, quarum illis cuſtodiam committunt, oriundos ſolent, arbitrati pro natali ſolo obſtinatiùs ad mortem pugnaturos. Geſtare aut habere domi arma ad præſcindendas tumultuum cauſas ſolis conceſſum militibus, quos regia alunt ſtipendia. Præter dicta civitatum præſidia in civitate *Taybin* ſeu *Suntien*, in qua ſedem Rex fixit, viciniſque numeroſiſſimum equitum peditumque alit exercitum, ſeu ſuæ regnique ſecuritatis causâ, ſeu quodam Majeſtatis blandimento. Militum duo ſunt genera uti conditionibus ita nominibus diſtincta: aliqui *Cum* dicuntur, aliqui *Pon*. Illi (a) ex eadem, quam cuſtodiunt, nati ſunt civitate: parentibus filij ſuccedunt; deficiente hærede Rex alium ſubſtituit: ad quem quiſque locum concurrere urgente neceſsitate debeat, inſcripto mænibus nomine cognoſcit. Hi (b) externi ſunt & temporanei prout accedentes ad militiam paciſcuntur: excubias iſti agunt, bellicos apparatus ſervant, ab una in alteram regni partem, prout compellit neceſsitas & ducum imperium, commigrant, luſtra inſtituunt. Singulis millenarijs Tribunus præeſt & vexillifer: centenarijs Centurio & vexillifer alter ſuperioribus ſubjecti; quo fit ut nullâ difficultate militum, quotquot in copioſiſsimo ſunt exercitu, numerus iniri poſsit, ſignis mil-

(a) *milites Cum.* (b) *milites Pon.*

illenariorum,quæ ſunt notiſsima computatis. Tribuni,Centurioneſque ædes in mœnibus habent ſuo nomine notatas, in quibus toto belli habitant tempore.

4. Ad bella milites à Centurionibus ſtudioſiſsimè ſingulo menſe etiam pacis tempore exercentur, procedi ordinatim, ordines contrahere,& mox eoſdem explicare,impetum in hoſtem facere,retrocedere,omnia ad tympani ſonum. (a) docẽtur item agiliter utilique tractare arma.Hæc ſunt ſclopeta,lanceæ,ſcuta, acheræ,bipennes,pugiones, ſecures, fuſtes nodoſi, thoraces. Equites in bello quatuor enſibus utuntur, duos ad prœlium proceſſuri ex ephippijs ſuſpendunt, duos eodem tempore mirâ dexteritate vibrant: ad greſſum certaminis frequenti armato, & quantum cuilibet poteſt, ornato famulitio ſtipantur. Aſtutiâ militari pedites juxtà ac equites valent:& quamquàm ad inferendum, ſeu ſuſtinendum impetum non omninò animus deſit,eludere tamen hoſtem malunt, magnis machinis, ac ignibus artificialibus eminùs ferire,ſeu mari pugnandũ,ſeu terrâ globis præſertim ignivomis,quos muricibus ferreis replent, & ſagittis pulvere nitrato factis maximas inimicis cædes inferre ſueti: Equites præter enſes,quos diximus,in prælio etiam arcus,ſagittas,lanceas,nonnulli bombardas

(a) *Part. 2. lib. 1. cap. 28. nu. 3.*

adhibent. Equos indecorè regunt, pro fræno tranſverſim in os equi ferrum immitentes, quod, dum ſiſtere equum volunt, ex una parte contrahunt, nec tamen, niſi multis clamoribus & pedum in equorum latera contuſionibus, conſequuntur. Inepta quoque ephippiorum forma eſt. Iſtud tandem verè hîc dixerimus, malus equus, eques indoctus.

5. Nec minori ſtudio marinis provident apparatibus, multis claſsibus ſingulari omnia littora vigilantiâ defendentes.

6. Militibus omnibus liberaliter ſtipendia perſolvunt: maximo in honore habent, qui in prœliis roboris, audaciæ, aut induſtriæ ſpecimen dederunt, opportunis illos ampliſque remunerationibus deſtinantes. In bello captos non occidunt aut pro ijs litra accipiunt: ſed in remotis à ſua patria Provinciis militare cogunt pare cum Chinéſibus ſtipendio ſimilique veſtimento; ſolis pileis, quos captivi rubros geſtant, diſcernuntur. Ejuſdem coloris pileis utuntur, quos Iudicum ſententiæ (quod frequens eſt) ad ſerviendum in ultimis Regni finibus condemnant, ideoque ſententijs inſerunt, *ad pileos rubros.*

C A-

CAPVT VI.

Militum in ſingulis Provinciis numerus.

HÆc in genere pro belli apparatibus & exercitijs,pro victoriæ modeſtia cura eſt. Nunc pecie immanem ad bellandum potentiam exemur. In ſingularum Provinciarum præcipua cite bellicum reſidet Concilium, Præſide uno & tuor conſtans Aſſeſſoribus ad arma exercitatis, ous defendendæ Provinciæ ſollicitudo incũbit.Hi bunos conſtituunt & Centuriones,cæteroſque cotium adminiſtros, bellicos provident apparatus; onunt civitatibus pro ſingularum exigentia præa. Et ne quid pecuniarum defectu deeſſe permitr,ærarij Præfectis præceptum eſt nihil Concilio ico petenti negare.

.. Anno M. D. LXXVII. quo in Chinam R. P. rtinus de Herrada Provincialis Ordinis Eremitaim S. P. Auguſtini eiuſque ſocij Regno in ſumma conſtituto,intrarunt (a) cenſu militum acto,nurus,qui ſequitur,eſt collectus.

In Provincia *Paguia*, in qua ordinariam Regis ſe. eſſe diximus,duo milliones centum quinquagin-

(a) 2. *par.c.lib.* 1.

ta peditum millia, equitum millia quadringenta.

In Provincia *Santon* peditum centum-viginti millia, quadraginta equitum.

In Provincia *Foquien* peditũ quinquaginta octo millia, nongenti, equitum millia viginti duo, quadringẽti.

In Provincia *Olam* ſeptuaginta ſex millia peditum, equitum viginti quinque, quingenti.

In Provincia *Cinſay* peditum octuaginta millia trecenti; equites, quòd hæc ſequenſque Provincia ſit admodum montoſa, aut nulli aut pauci.

In Provincia *Oquiam* peditum centum viginti millia ſexcenti: nulli, ob ſuperiorem rationem, equites.

In Provincia *Suſuam* peditum octuaginta ſex millia, equitum triginta quatuor, quingenti.

In Provincia *Tolanchia*, quæ maximè Tartaris præcipuis ſemperque inquietis Chinenſium hoſtibus eſt vicina, duo milliones octingenta peditum millia, equitum ducenta nonaginta. Hi famâ virtutis & exercitationis, quam non ludicrè, ſed continuis cum Tartaris bellis comparârunt, omnes aliarum Provinciarum vincunt.

In Provincia *Canſay* quinquaginta millia peditum, equitum viginti, ducenti quinquaginta.

In Provincia *Ancheo*, in quam Auguſtiniani penetrârunt, octuaginta ſex millia peditum, equitum quadraginta octo.

In

In Provincia *Honam* millia peditum quadraginta atuor,equitum quatuordecim,quingenti.

In Provincia *Xanton* quinquaginta duo peditum llia,equitum octodecim,nongenti.

n Provincia *Quicheu* quadraginta octo millia pedin,ſeptingenti;equitum quindecim millia,trecenti.

n Provincia *Chequeam* triginta quatuor millia peum,equitum tredecim.

n Provincia *Sancy* inter omnes minĩma quadrata peditum millia,equitum non ampliùs ſex.

. Ad dictum militum numerum ex pacto cum e inito quælibet Provincia obligatur,impletque magno negotio,cùm quòd certò Rex ſtipendia at,dùm quòd militibus permiſſum in patria, in rijs ædibus inter patrimonia morari, cùm in ntum locum,ut diximus,hæreditariè filij ſucce. Sola urgens eos ad alienas Provincias evocat ſitas.

Patet ſingulas Provincias integro regno non è comparari; atque integram totius computas ſummam fieri, quinque milliones octina quadragingenta ſex peditum millia, quinos ([a]): equitum nongenta quadraginta octo milecentos & quinquaginta. ([b]) Qui ſicut numero pæos longiſsimè excedunt, nec cedunt ingenio;

846500. (b) 948350.

 ita

ita pares eſſent animis virtuteque, nimis anguſtus eſſet eorum victorijs mundus. Equi ut plurimum mole exigui in magna itinera durant; in intimis Provincijs bonitate ſimul ac magnitudine laudantur.

5. Sileo hîc modum, quo, Numinis ope & hominum induſtriâ ac labore prodigioſa illa potentia ſuperari poſsit, contentus illum prolixè ipſi, cui obligor, ſignificaſſe. Ad pacem exhortari potiùs quàm ad bellum incitare mea me veſtis & conditio jubet. Arma ego amo ſermonem Dei, qui *vivus eſt & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum.* (a) Quibus armis ut in China dimicetur, me feliciſsimis Philippi II. Regis Catholici temporibus viſurum confido, qui magni molitninis ex nunc fundamenta jecit, perducetque ad dignam ſuo valore & zelo Chriſtiano perfectionem.

CAPVT VII.

Lex vetans proferre extra regni terminos bella, ac ex eo egredi, & exteros ab introitu ſecludens.

1. NOn pauca in hoc opere dedimus ingenij & prudentiæ, quibus præſtant, Chinenſes, argumenta

(a) *Hebrær. 4. 12.*

enta,quæ inſigne ex ijs,quæ hoc capite narraturi ſu-
us,robur accipient , quibus Græcos , Carthaginen-
, Romanos tot veterum & modernorum Scripto-
n monumentis laudatos ſuperare videntur. Iſti e-
n ambitionis ac avaritiæ impetu in diſsitas longè
iones & regna provecti ,hæreditariorum jacturam
erunt. Hi alienis malis prudentiores , conſideran-
prætereà quantis incommodis & damnis ad ſubi-
da externa regna ex proprio egrederentur,nam,ut
il de laboribus ac curis ad conſervandum , quod
actum erat,dicam, internos conſumere theſauros,
iſerandis ſubditos calamitatibus ac cædibus de-
ere neceſſe erat : Patebat intereà Tartarorum &
imorum Regum injurijs obnoxium malè-defen-
regnum,cui ut inhiarent,ipſæ ejus divitiæ,delitiæ
rtilitas,quibus omnes mũdi regiones vincit,pro-
bant:reputantes propterea ſtultum eſſe à ſe ne-
ac alienæ cupiditati permittere,quo melius adi-
non poterãt,quodq;cùm exteris ſuppeditet pluri-
ab illis requirit , indictis totius regni Comitijs,
æ Provinciarum Pro-reges principeſque viri a-
jubebantur, de tot malorum remedijs ſeriò de-
tum fuit,collectiſque ſuffragijs communiter ju-
um, *Expedire regni ſui quieti deſerere quidquid extra il-
ſertim ſi remotum erat , occupaſſent,neque deinceps ulla*
exte-

exteris bella inferre, quorum cùm certa eſſent damna, incertiſſimi erunt eventus. Regi eam ob cauſam ſupplicabant, ut militem, quem extra regni limites alebat, revocaret, reputaretque hoc facto potentiam ſuam incrementum potiùs quàm detrimentum ſumpturam; eam ubertate potiùs terræ & ſubditorum ſecuritate, quàm locorum ſpatijs eſſe æſtimandam. Placuerunt Regi preces ſolidis rationibus (a) firmatæ, præcepitque ſub graviſsimis pœnis, ut quotquot extra regnum ſubditi morarentur, inter aſsignatum à ſe tempus in patriam redirent. Provinciarum autem Præfectis juſsit commiſſas ſibi regiones abductis præſidijs deſerere, niſi forte quædam pendere tributum aliquod in ſupremi Dominij aut amicitiæ teſtimonium ultrò elegiſſent, quod etiam-num faciunt Lechij alijque nonnulli.

2. Leges prætereà condidit hactenus inviolatas 1. Nemo ſub capitali pœna in quacumque parte bellum inſtituat abſque Regis, Regijve Concilij conſenſu. 2. Nemo ſub eadem pœna extra regni terminos naviget ſine dicta licentia: intra ipſius regni provincias ad negotiationem profecturus ſpondeat ad aſsignatum illi terminum reverſurum; qui ſecus faxit, regno exulet.

3. Nullus in regnum externus intret abſque Regis aut

(a) *Imitentur ethnicum Reges Chriſtiani.*

t Præfectorum, qui iis, per quos ingredi continget, ıitibus præerunt, permiſſione: hanc non niſi matu-deliberatione dent Præfecti, Regemque mox red-nt ingreſsûs certiorem. Quæ leges cùm inviolabi-r obſerventur, nihil mirum ſi rerũ Chinenſium ac gnitudinis notitiâ, quæ paucis ab hinc retrò annis xplicuit, reliquus hactenus orbis caruerit. Nõ eſſe, e diximus, à veritate aliena claré convincunt Chi-ıſium Hiſtoriæ, vetera itineraria & mappæ nau-e, paruiſſe ſcilicet Chinæ totam prorſus Indiam, ıec legibus ſupradictis conditis voluntariâ Chi-ıſium deſertione ad priſtinam rediit libertatem. n obſcura tamen in inſulis Philippinis & ora de *mandel*, quæ eſt ad occidentale ſinus Gangetici latus, regno *Narſinga* orientalior, antiqui Chinen-n Dominij monumenta perſeverant, ubi oppidum hinenſibus olim exſtructum etiam-num condito-ı nomen ſervat *Chinos* dictum. Par eſt in regno *ut* memoria, ubi arbores & fructus ſunt, quos in-ænæ ajunt à Chinenſibus illuc, dùm rerum poti-ur, allatos, addentes ijſdem temporibus regna *aca*, *Syam*, *Chapaa*, finitimaque omnia Chinenſibns iiſſe. Quin & Iaponicas inſulas in eadem fuiſſe ectione creditur, non vanis ſimilium cum Chi-

N nen-

a) *Nunc golfo de Bengala dicitur.*

nenſibus morum multarumque legum utrobique ſervatarum indicijs.

4. Tandem tamen rigorem legis munerum potentia evicit, ac ſecreto Præfectorum conſenſu quotannis mercatores plurimis navibus, quibus merces advehunt pretioſiſsimas, quæ deinde in Hiſpaniam aliaſque partes diſtrahuntur, in inſulas Philippinas adlabuntur, verùm certâ priùs cautione Præfectis datâ ſe non ultra annum emanſuros. Quin & in Mexicanum uſque regnum eos avaritia extraxit, quò tres mercatores Chinenſes curioſis mercimonijs ditiſsimi anno præcedēte M.D.LXXXV. appulerunt, nec deſiſtent, quin in ipſam Hiſpaniam magiſque etiam diſſita regna penetrarint. Eâdem largitionum vi in regnum naves mercatoriæ admittuntur, ſed ſolâ vendendi & emendi conditione, diſcurſibus per civitates ac ſpectandi res Chinenſes curioſitate prorſus interdictis. Licentiam tabulâ inſcriptam mercatores in prora conſtituunt, ne à portuum cuſtodibus demergantur, aliudve patiantur incommodum aut damnum, nihilque præter ordinarium Regi debitum exigant vectigal.

5. In ſingulis portubus tabellio à Præfecto conſtitutus diem horamque appellentium navium notat, ut ſervato advētus tēpore nullâ inter Chinenſes ac peregri-

grinas diſcretione advectas merces exponant, onerentque alias: quo fit, ut tametſi in uno portu bis mille ſtent naves minores majoreſque, non majore, quàm una ſola, accedant recedantque tumultu. Hâc licentiâ Luſitani, qui in Indijs agunt, negotiationes in Provincia *Canton* alijſque partibus exercuerunt, prout Luſitani non minùs quàm Chinenſes adfirmant.

CAPVT VIII.

Regium Concilium: quomodo ſingulis menſibus ad Regem deferatur quidquid in Regno agitur.

1. HAbet Rex in civitate *Taybin* regni metropoli Concilium uno conſtans Præſidente, Audi- oribus duodecim ex toto regno ſelectis ac longâ re- endi experientiâ prudentiſsimis. Hic gradus hono- is eſt ſupremus, maximaque dignitas, ad quam con- iti quis poſsit. Nullus etenim in iſto regno eſt Prin- eps, Dux, Marchio, Comes, aut Dominus ſubjec- os habens, præter Regem Principemque filium. Eo- um locum hi tenent Auditores & Provinciarum ræfecti, nec minorem apud ſuos venerationem con- quuntur, quam illi in regnis, in quibus talium titu-

lorum eſt uſus. Supra inſignem rerum experientiam, ac legum regni, naturalis moraliſque Philoſophiæ ſcientiam in dicti Concilij Auditoribus non vulgarem requirunt Aſtrologiam, præſertim judiciariam: convenit namque, ajunt, ſupremos Auditores, per quos quindecim adeóque omnes regni Provinciæ reguntur, in iſtis ſcientes eſſe, ac poſſe ventura prævidere tempora, futuroſque prædicere eventus, ut præcognitis neceſsitatibus occurrant.

2. Auditores iſti ordinariè in aula palatij regij curioſiſsimè ornata conventum inſtituunt. Inter aulæ illius ornamenta præcipua numerandas cenſeo ſedes Auditorum tredecim, ſex aureas, totidem argenteas, in quibus nihil ad artem deſideretur, multò tamen decimâ-tertiâ inferiores, quæ auro, ex quo conſtat, pretioſiſſimos habet inſertos lapillos. Hanc ex aureo panno tegit cælum, cui ſerpentes, Regis ſcilicet inſignia, aureo filo intexuntur. In hac inter duodecim alias media Præſes ſedet, niſi fortè, quod vix unquam contingit, Rex interſit Concilio, tunc namque Præſes primam lateris dextri, in quo ſunt ſex aureæ, occupat. Conſeſsûs inter Auditores præcedentiam antiquitas donat. Moriente Præſide in ejus ſedem conſcendit præſidetque ex Auditoribus antiquior, ille videlicet qui in lateris dextri prima ſede conſidebat:

vacan-

antem hujus aſcenſu ſedem ſequens accipit Audi-
,cæteris ejuſdem lateris Auditoribus ſibi uno al-
i gradu ſuccedentibus: ad ultimam verò primus
ris ſiniſtri in quo ſtant ſedes, argenteæ, Auditor
ſit: cæteri quinque ordinatim gradu uno altiores
t: eodem ſuccedendi ordine, abſque novo Regis
Præſidis conſenſu ſervato, quotieſcumque Audito-
aliquem decedere è vita contingit: vltima & va-
adſciſcendum de novo Auditorem expectat. Il-
Præſes & ſuperſtites Auditores, ſinceriſsimâ me-
um & capacitatis conſideratione, eligunt; electio
agiorum pluralitate perfecta cenſetur. Si electus
ns Provinciam aliquam adminiſtrat, mox advo-
: Si adſit in civitate, eum adducunt ad Regem
irmandum aut rejiciendum; poſteriùs etiamſi li-
m ſit Regi, nunquam facit. Tùm Regi ſolemniſ-
novus Auditor jurat, *ſe in judicijs ſerVaturum juſtitiā
lū leges regni, Pro-reges, Præfectos, Iudices nominaturū non
odijVe impetu, neque munera per ſe aut tertiam perſonā re-
um, ſed ſtatuturum, quod res ipſa exigere Videbitur*; aliaq;
ma, maximè vèrò: *Nullius ſe contra Regem proditio-
ticipem futurum aut conſenſurū, ſed ſe omnia, quæ ſciet ad-
Regem ſeu directè ſeu indirectè molimina, reVelaturū Re-
q; Concilio, ac ſtudio pacis fore intentum.* Præſtito in hũc
ĩ juramento eum ad vacuam in ſiniſtro latere ſe-

 dem

dem magna pompâ deducunt, dignitatemque inſignibus illi celebritatibus per aliquot dies cõgratulantur, non tantùm Auditores collegæ, ſed aulici etiam, civeſque; nec mercatores emunt illis diebus, venduntve, nec operantur opifices. Cùm neceſsitas cogit ſolus Regem convenit Præſes, aut, eo infirmo, antiquiſsimus Auditorum, verùm ut plurimùm genuflexi & oculos in terram defixi, etiam dùm ad duarum horarum ſpatium protrahitur alloquium. Verùm quam ipſe exhibuit Regi, poſteà ab alijs cum fœnore accipit venerationem, nullis Pro-regibus, Præfectis aut Centurionibus minori ſubmiſsione ad ſe admiſsis.

3. Ad hoc Concilium quot-menſibus, quidquid toto regno accidit ſcitu dignum, ſeu ad bellum pertineat, ſeu regni ſtatum, ſeu bona, defertur. Hoc Pro-regibus mandatum incumbit, nihil earum rerum ut lateat permittere: quod non minori ſtudio exequuntur, quàm fuerit præceptum fulgore majeſtatis. A quingentis leucis adſunt infallibiter curſores, non minùs quàm è propinquo, ad diem ſtatutum, ultimoſque primi expectant, ut uno tempore tabellis novarum rerum indicibus vacetur; remotioribus Provincijs numero curſorum conſequenter emiſſorum compenſantibus aliarum propinquitatem. Curſores more Europæo

pæo cornu deferunt, pectori prætereà equorum nolas aut campanulas præpendunt, ut ſonitu earum & cornu præmonente equi recentes aut ſcaphæ, ſi quando flumen eſt tranſmittendum (quod accidit frequenter) tempori præparentur. Lectas in Concilio literas atque in capita reductas Præſes minutiſſimè, modo ſuprâdicto, Regi refert: occurrentibus neceſſitatibus mox Concilium providet; Iudicem, ſi quem extra ordinem res ipſa depoſcat, nominat, mittitque eâ feſtinatione, & ſilentio, ut priùs, quàm fieri poſſe putentur, ſine cujuſquam conſcientia perfectæ ſint inquiſitiones.

4. Verùm cùm de his in ſequentibus Capitibus prolixior futura ſit hiſtoria, iſtud unum nunc addo, Regem Chinæ adeò à ſe in regnum licet ampliſſimum ac ſubditos innumerabiles velle juriſdictionem poteſtatemque diffundi, ut Pro-regibus, Præfectis ac Iudicibus omnibus ſit interdictum capitali quemquam ſupplicio afficere, niſi priùs ſententiam Rex ipſe & Concilium ſignarit. Legatis tamen exercitus in actuali bello, ubi ſumma ſæpè ex mora pericula & damna naſcuntur, permiſſum abſque Regis & Concilij conſenſu plectere capite & ſtrangulare militem peccantem: ſed & tunc, ut ſubitæ iræ aut odijs obvietur, ſtatutum non niſi Quæſtoris Regij & Magi-

ſtri

ſtri campi; graviſſimorum ſemper virorum, concurrentibus ſuffragijs poſſe inferri ſupplicium.

CAPVT IX.

Præſides & Regij in Provincijs Miniſtri: regiminis modus.

1. P*Aguiam* & *Tolanchiam* Provincias à Rege, Regioque Concilio regi non ſemel diximus: tredecim reliquæ ſingulæ Pro-regem habent aut Præfectum quem *Inſuanto* vocant. Hic ordinariam in Provinciæ metropoli, quæ toti ſolet Provinciæ ſuum communicare nomen, ſedem figit. Et licet omnes Regis ac Iuſtitiæ miniſtri communi nomine *Loytia* appellentur, quilibet tamen pro muneris, quo fungitur, ratione proprium habet, quorum cùm non ſit injucunda cognitio, operæ pretium duxi hîc ea recenſere.

2. Præcipuum in qualibet Provincia magiſtratum Pro-rex gerit, *Comon* genti dictus: alter ab illo pariſque penè authoritatis *Inſuanto* eſt totius Provinciæ Præfectus. Qui civitatibus, quæ Pro-regem aut Præfectum non habent, præeſt, *Tutuam* dicitur veluti Prætor. Prætores omnes graviora ſuarum civitatum negotia ad *Inſuantum* referunt; hic ad Pro-regem ſeu *Comon*, cui incumbere diximus per curſores Regio

Conci-

Concilio nuntia deſtinare. Tertia dignitas eſt *Ponchaſi* ſeu Præſidis Concilij, quod regio ærario intendit. Huic plurimi ſerviunt ad colligendos regios cenſus apparitores, quos *Ponchaſi*, ſtipendijs priùs Regiorum miniſtrorum, & ſolitis inſolitiſque expenſis ſolutis, ad *Tutuan* defert. Quartus *Toloc* eſt militaribus, quotquot per totam ſunt Provinciam, copijs præpoſitus. Hunc quintus ſequitur *Anchaſi* Præſes Iuſtitiæ, qui cum ſuis Auditoribus lites dirimit, ſententiaſque inferiorum judicum appellatione ad ſe deductas criminales æquè ac civiles probat reprobatve. Sextus *Aytao* bellico præeſt Concilio: ad eum ſpectat, militem, cùm opus eſt, conſcribere, præſidia diſtribuere, munimenta civitatum, naves, bellicos apparatus, commeatus curare: illi omnes exteri ad ejus Provinciam accedentes adventûs rationem reddere tenentur, Pro-regi ſignificandam.

3. Qui ſex Magiſtratus uti ſunt authoritatis maximæ, ita ſummam ab omnibus venerationem accipiunt. Cuilibet decem aſſident Auditores, viri ſelecti. Ad eorum conventus aulæ in Pro-regum palatijs ſtudioſiſſimè ornatæ deputantur, ſingulis Concilijs ſingulæ. In conventibus quinque dextrum Præſidis latus ſervant, totidem ſiniſtrum: dextri ſiniſtros uti antiquitate ita reverentiâ excedunt: pileis ab invicem &

cingulis diſtinguuntur: dextri cingulis aurea clavorum capita infixa geſtant & pileos flavos; ſiniſtri argétea in cingulis clauorum capita, & cæruleos pileos. Extra Auditorum verò dignitatem nulli iſtud cingulorum & pileorum geſtamen permittitur. Iidem Præſideſque in humeris & pectore Regis inſignia auro acupicta conſpicua gerunt, ſine quibus nec in publicum prodire, nec exercere officij actum fas eſt: quem ſi aliter tentent, præterquàm quod nullam à ſubditis obedientiam impetrabũt, rigorosè à Viſitatore caſtigabuntur. Præſidis cujuſcumque Concilij ex vita decedentis locum antiquior occupat Auditor, ſervato adſcendendi ad altiorem gradum ordine, quem in Regio Concilio deſcripſimus [a]

4 Omnes iſti in univerſum judices longanimitate & patientiâ, ad quam à primis ſtudijs erudiuntur, conſtantiſſimè pollent, etiam tunc, cùm impotenter ab alijs & iracundè compellantur, intemeratâ: quibus virtutibus inſignem ſociârunt in alloquijs humanitatem, quam cum ipſis quoque, quos condemnant, quantùm juſtitiæ leges permittunt, oſtentant. Exurgente Viſitationis aut notabilium informationum neceſſitate, ex Auditoribus unus proficiſcitur totius Concilij authoritate munitus.

5. Sunt præter illos ſex alij Iudices minoris quidem

(a) *Cap. præc. nu. 2.*

dem dignitatis & juriſdictionis reſtrictioris, quos magnâ nihilominùs veneratione populus proſequi-tur. Omnibus hic in China tribuitur cultus juſtitiæ miniſtris, ad quem ſubditos ſi non trahunt, creſcente cùm annis humanitate, deſpotico certè & in tyrannidé declinante imperio compellunt. Nomina eorum ſunt *Cautoc* ſeu vexillifer major; *Pochin* ſeu Theſaurarius ſecundus; *Pochinſy* ſeu regius ſigillator; (a) *Autzatzi* ſeu Supremus civitatis Iudex. (b) Sunt prætereà tres velut Prætores aulici *Huytay. Tzia, Tontoy*, qui cauſas audiũt ſuis Tribunalibus congruas in ſuis ædibus qualibet hebdomade ſemel, dato, dùm portæ reſerantur, tormentorum quater exploſorum indicio, quo publicè conſtet dari ad dicendas cauſas opportunitatem. Si quem alicujus criminis convinci videant, miſſo apparitore (habent Prætores ſinguli apparitores decem duodecimve) ad Prætores civitatum ordinarios, quos *Zompau* nominant, tabellâ ſignificant infligendum reo ſuppliciũ. Ordinarij Prætores vicatim in civitatibus diſtribuuntur, attributis unicuique civibus mille; extra quos dilatare juriſdictionem non licet, hac inſuper cautione ſervatâ, ut nullus in illo, in quo habitat, vico habeat Præturã. Suum quilibet Prætor vicum ſingulis noctibus obit, curans ſedulò ne cui in ſuis ædibus moleſtia inferatur, ut luminaria exſtinguantur

(a) *Garde-ſeau.* (b) *Alcalde mayor.*

tur incendiorum metu, quæ implacabilia olim ob multitudinem compreſſionemque domorum, ac lignea in omnibus, qualia in Biſcaya videmus, tabulata non raro fuerunt. Extra determinatas ſtatuto horas lumen habuiſſe repertus, ſeverè caſtigatur. Ab horum dumtaxat Prætorum ſententijs ad Prætores aulicos appellatur, non à cæterorum, quas ſolus Viſitator reformat, cui omnia gravamina diſſolvere fas eſt, ob quod *Homdim*, quod eſt ablator gravaminum, dicitur, ſummâ ſupra omnes veneratione cultus.

6. Specialiora officia ſunt *Tompo*, qui victualia curat ijſque pretia imponit. *Tibuco*, qui otioſos ac vagabundos capit caſtigatque. *Quinche*, apparitor major. *Choincan* cuſtos carceris: hoc admodùm reputantes honorificũ, quòd Iudicibus, curvato dumtaxat ſub introitu genu, ſtando loquantur, quod cæteris non licet niſi genuflexis.

7. Præfecti aut Iudices in Provincias aut civitates de novo intraturi duobus tribuſve diebus tabulas, quibus à Regio Concilio inſtituuntur, præmittunt, quibus lectis acceptatiſque, copiæ omnes militares cum vexillis, omneſque *Lotias* magnâ lætitiâ & pompâ advenienti obviàm occurrunt, deducuntque ad ædes, in quibus ſunt moraturi, muſico variorum inſtrumentorum clangore per

pla-

plateas ſericis pannis , ramis, floribuſque ornatas.

8. Officiorum verò ac dignitatum maxima eſt *Quinchay*, quod eorum linguâ idem eſt ac ſi dicas, *Sigillum aureum.* Hic nunquam ab aula niſi graviſſimâ neceſſitate aut totius regni quiete depoſcente abſcedit. Eligendorum Iudicum modum, aliaque quæ bonum regimen concernunt, nonnulla proximo capite exequemur.

CAPVT X.

Præcedentis materiæ proſecutio: Iudiciorum forma.

1. OMnia, quæ diximus, officia Rex confert, Regem diſponit Concilium, quod ſtudioſiſſimè de promovendorum conditionibus inquirit: inter cætera maximè ſedulò evitant, ne cui in patria ſua Pro-regis, Præfecti, aut Auditoris munia dentur, ne conſanguineorum amor, aut odium inimicorũ juſtitiam excæcent vel inferant violentiam. Ad novos hos magiſtratus gerendos ituri nihil ex proprijs bonis toto exponunt itinere: famulos, equos, naves cùm opus eſt, hoſpitia ex ærarij ſumptibus Rex providet: vnicuique pro perſonæ ac officiorum qualitate certam

ciborum rationem in ſuis, quas in ſingulis habet civitatibus, ædibus conſtituit, quam ad electionem tranſeuntis ſeu in eſculentis ſeu pretio perſolvunt ad excipiendum deputati; ideoque ab amico convivio adhibitus pecuniam accipit. Hæc omnia *Ponchaſi* ſeu Præſidis ærarij ſolicitudine aguntur.

2. Cùm ad civitatem, cui præficiuntur, pervenerunt, celebritate recipiētium, quam diximus, (a) tranſactâ, in regijs habitant domibus, ijſque non famuli modò deputantur, ſed & quidquid neceſſarium eſt, miniſtratur. In ijſdem morantur ædibus tabelliones, apparitores, alijque omnes miniſtri qui ad juſtitiæ executionem requiruntur. Omnibus ſtipendia liberaliter Rex perſolvit, ſeverè enim non tantùm munera ſed & laborum mercedem accipere cavetur, ipſis autem Iudicibus ſeveriſſimè; quibus ad Provincias, ad quas deſtinantur, diſceſſuris inter cætera præcepta iſtud feriò Concilium inculcat ne à litigantibus eorumve fautoribus ſe viſitari permittant, neue ſententiam niſi publicè miniſtris juſtitiæ præſentibus, ac voce, quæ intelligi ab omnibus poſsit, pronuncient. Hunc autem ſervant modum.

3. Sedente in tribunali Iudice ad aulæ portas ab earum cuſtodibus nomen petentis juſtitiam elatâ voce proclamatur. Intrat nominatus & ante Iudicem,

(a) *Cap. præc. nu. 7.*

ali-

aliquali ab eo diſtantiâ, genuflexus clarè cauſam pronuntiat, aut ſcripto exhibet ab aliquo tabellionum legendam. De auditâ mox Iudex, quod æquum judicaverit, diſponit, ſententiam ſuam rubro ſignans charactere & propriâ manu. Ad tribunalia jejuni ac ne guttâ quidem vini guſtatâ, regiâ & rigorosâ ſanctione accedere jubentur, cujus tranſgreſſor ſeveriſſimè punitetur: infirmitati tamen corporis quidpiam, quod medicinæ magis quàm cibi rationem gerat, indulgēt, vinum nunquam; ſatiuſque reputant cauſarum auditionem cogente Iudicis ægritudine aliquot diebus intermitti, quàm inſtitui poſt cibum potumque. Hac diligentiâ propriorum ſtudium commodorum aut excludūt prorſus, aut metu detectionis, quam ab omnibus timere debent, ſupprimunt. Tabelliones item apparitoreſque impigrè, quidquid à Iudice imperatur, exequuntur, officij ſiquidem neglectum mox publici dedecoris pœnâ luunt, manibus ſcilicet exiguum vexillum geſtantes ac in genua provoluti finem conventus expectare jubentur, ac tunc pro negligentiæ exceſſu imperio Iudicis per lictores fuſtigantur: verùm publica hæc caſtigatio ignominiæ rationem frequentiâ amiſit.

4. Si quando aliquis ex Iudicibus civitatis plateas obambulat, quod accidit rariſsimè: ne quam authoritatis

ritatis jacturam frequenter à populo viſus patiatur, omnes eum Iuſtitiæ miniſtri comitantur hoc ordine: Duo peda argentea longis infixa baculis præferunt non abſimili modo quo Romæ Cardinalibus præferuntur: ſequuntur duo altas rectaſque arundines geſtantes in ſignum juſtitiæ, quam tranſiens Iudex facit in nullam partem inflexus: ſuccedunt rurſum duo, qui longis rubriſque corrigijs ſingulas arundines per terram trahunt, quibus rei fuſtigantur: poſt hos alij duo candidis tabellis nomen, titulos, officiumque Iudicis inſcriptum oſtentant. Cæteri magno numero Iudicis dignitatem ſuo comitatu ornant. Primi omnium elato clamore ſecedere è platea populum & liberam Iudici relinquere jubent, paretur que magnâ celeritate, magiſterio experientię non impunè quempiam poſt has voces tardaſſe. Ea certè eſt Iudicum veneratio, vt nemo movere ſe aut tranſmittere plateam, veniente Iudice, niſi Iudex Superior, auderet. Superior namque Iudex ab inferiore eandem accipit reverentiam.

5. Cauſas civiles æquè ac capitales ſcripto agunt; coram omnibus ſententias ſignant, teſtes publicè examinant, ne vel in ipſo examine vel depoſitionum annotatione committere fraudem poſſint. Teſtes autem ſeorſim ſingulos audiunt; ſi invicem contradicant,

cant, junctos iteratò examinant, ut excitatâ inter eos rixâ dum quilibet ſtabilire à ſe dicta rationibus contendit, Iudici porta pandatur eruendæ veritatis; quam ſi nec iſto ſtudio conſequuntur, torturæ teſtes, niſi vel eorum conditio vel de fidelitate experientia opinionem omnis falſitatis abſtergat, ſubjiciunt. In gravibus negotijs, aut quæ graves perſonas concernunt, tabellionibus non fidunt, ſed totum proceſſum proprijs manibus conſcribunt, teſtimonia pluries neque otiosè pervolventes; ideoque rariſsimæ ſunt de acceptis per Iudicum ſententias gravaminibus querelæ. Magna certè apud ethnicos, & quæ imitationem mereatur, virtus, ingentia, quæ illius diligentiæ neglectu accidere ſæpè ſolent, incommoda evitans, dùm judicia non conſideratione perſonarum, ſed rerum momentis formantur. Habent inſuper alias, quæ ſerviant ad exemplum, conſuetudines, quarum quaſdam diximus, alias dicemus.

6. Earum una eſt: Iudices in omnibus civitatibus, oppidis, ac pagis ſuæ juriſdictioni ſubjectis cenſum ineunt domorum, eas per denarios diſtribuentes: domos earumque habitatores in tabula notant, quam iſti domui, quâ denarius completur, adfigunt, addito in eadem tabula mandato, ut, ſi quis aliquem ex ſuo vicinorum denario contra ſeipſum, familiam, vici-

niam, Rempub. deliquiſſe ſciat, ad Iudicem deferat caſtigandum: adjunctâ etiam mandato pœnæ, quam ſubſtinere debuiſſet delinquens, comminatione contrà eum, qui deferre detrectat aut negligit; quo fit ut mutuo ſe metu à peccando vicini compeſcant. Quicumque ex illis decem in aliam ejuſdem civitatis aut oppidi partem, aut alteram civitatem oppidumve aut pagum cogitat domicilium transferre, aut longam profectionem inſtituere, decem ante diſceſſum diebus ſono nolæ per viciniam propoſitum publicet neceſſe eſt, ut omnibus tempus detur exigendi debita, mutuaque repetendi. Si non præmiſſo iſto abitus indicio diſceſſerit, reliqui, qui in eadem tabula notantur, in pœnam non delatæ ad creditores aut Iudicem mutationis, ad debitorum, quæcumque ſunt, ſolutionem compelluntur.

7. Debitorum ſolutionem ſi negligant, Iudicis ſententiâ ex bonis debitoris repetunt, aut, ſi bona deſint, carceris ſquallore extorquere ſatagunt, prҿſtituto, intra quem ſatisfacere teneantur, termino: quo ſine ſatisfactione elapſo, mediocri fuſtigatione caſtigato aſsignant ſecundum, intra quem ſi debitum non extinguit, tertium præfigunt, ſed ſeveriùs, quam antè, correpto, ac ſic deinceps cùm terminorum extenſione pœnas augendo, tandem ictibus enecant. Verùm car-

carceris tœdio & verberum doloribus intolerabilibus territi aut reipſa aut ſponſore dato placare quamprimùm creditores conantur , vel ſe illis in ſervos tradunt.

8. Veritatem quam manſuetudine ac induſtriâ non potuerunt, duplici torturæ genere exprimere conantur; alterum manibus adhibent, pedibus alterum, neutrum verò ante ſemiplenam delicti probationem aut æquivalentia indicia. Manuum tortura hæc eſt: Duobus bacillis rotundis palmum longis & duos digitos craſsis, quos ad utramque extremitatem perforârunt, ambarum manuum digitos immittunt, quos per tranſmiſſas per foramina extremitatum chordas paulatim ſtringunt , donec incredibili ac in ejulatus fœcundiſsimo dolore compages articulorum ſolvantur. Quâ torturâ ſi nondum veritatem extorſerunt, alteram pedibus adhibent, præcedente multò crudeliorem. Ad hanc duo aſſumunt ligna , longa quatuor pedes, unum lata, utrimque perforata , intra quæ torquendi pedes ligant, ea grandium malleorum ictibus contundentes , aucto paulatim cum numero ictuum impetu , atque ita oſſa convellunt. Nunquam hæc torturarum genera niſi ſpectāte ſupremo Iudice permittuntur, eaq; vix ullus reus admittit : maturâ ſiquidem confeſsione atque ipsâ morte tàm miſeros cru-

 ciatus

ciatus redimere, plerique malunt. De carceribus eorumque rigore ſuus erit dicendi locus.

CAPVT XI.

Viſitatores ad indagandam Iudicum vitam annuè à Rege miſſi: culpabilium Iudicum pœnæ.

1. TAnta eſt ethnici Regis pro recta juſtitiæ adminiſtratione ſollicitudo, ut, præterquam quòd triennalia voluerit eſſe Pro-regum, Præfectorum, Præſidum, aliorumque Iudicum munia, quibus exactis rationem adminiſtrationis reddere Iudicibus *Chænes* dictis teneantur, quotannis in ſingulas Provincias Viſitatores magno ſecreto deſtinant, quos *Leachis* vocant, probatæ probitatis, prudentiæ & fidelitatis viros. Hi civitates omnes pagoſque obeunt incogniti, ſeriò de querelis contra juſtitiæ adminiſtrationem inquirentes, ideoque non facilè Regij miniſtri in judicijs inſoleſcunt, certi de incerti temporis viſitatione. Authoritas illorum, captivare judices, caſtigare, ab officio ſuſpendere, eo privare, ſi deliquiſſe deprehendantur, abſque recurſu ad Regem poteſt: ſola ab ea immunis vita eſt, quâ nullus Rege inconſulto privatur. (a) Ab ituris fidelitatis & ſecreti juramen-

(a) *Suprà hoc lib. cap. 8. nu. 4.*

mentum, quod trino potus ibi uſitati hauſtu præſtãt, exigunt.

2. Vt proficſcantur ſecretiùs, non aliud per Tabelliones in literis, quàm authoritatem quam habere illos Rex vult & obediendi mandatum, ſcribi Concilium permittit: Viſitatoris nomen & Provinciam, quam viſitaturus eſt, Concilij Regij Præſes ſupplet. Ad civitates aut pagos Provinciæ, ad quam mittitur, perveniens ſtudioſè non minus quàm ſecretè, quomodo Pro-rex, Præfecti, aliique miniſtri munia ſua exequantur, inquirit, totamque ita obit Provinciam. Poſtremò accedit ad metropolim, in qua conſuetum conventus Provincialis, qui non minus ſemel in ſingulos menſes cum Pro-rege ſeu *Comon* habetur, expectat. Omnibus ad condictum diem congregatis adveniens Viſitator per portarium nuntiari jubet adeſſe Iudicem, qui ingredi depoſcit, & ad indicanda Regis mandata debet. Ex quo Pro-rex cæterique non obſcurè, quid rei ſit, conjicientes, portis aperiri juſſis è ſedibus deſcendentes ad introducendum Viſitatorem velut Iudicem ſuperiorem properant. Ingreditur ille Regias litteras apertas ante ſe gerens non exiguâ eorum, quos propriæ redarguit teſtimonium conſcientiæ, formidine, quas ubi legendo abſolverunt, Pro-rex è ſedili conſurgens magnæ exhibitione venerationis,

illius authoritatem agnoſcit, cæteris Pro-regem imitantibus. Ille autem præcipuâ ſede occupatâ, communi omnibus oratione adventus cauſam inquiſitioniſque pro veritate diligentiam exponit: Deinde gravi exaltat encomio Iudices, qui ad legum normam munia direxerunt, transfertque ad honoratiora mox ſubſellia, additis amplis promiſſis ſe Regi Regioque Concilio de exercito ritè officio relaturum, ut digna factis præmia conſequantur. Exinde aſperrimè alios, qui officio defuerunt, invadit, ſententiamque, quam propter culpas (illas nominat) merentur, contra illos pronuntiat, adverſus quam tergiverſari aut moras executioni injicere nulli fas eſt, appellatione ab iſtis Viſitatoribus prorſus interdictâ. Caſtigari merito non priùs ſupplicium inferunt, quàm Iudicis inſignibus, quæ cingulum & pileum eſſe diximus, ſpoliato, pœnâ privationis ab officio, quin & capitis aliter facienti conſtitutâ. Si quos ab officio ſuſpendunt, in eorum mox locum alios ſubſtituunt, gravi oratione & recenti exemplo ad fidelius Regi obſequium præſtandum monitos. Ampliore nonnunquam poteſtate & præmia optimè officio functis elargiri conceditur, quâ ad maiores ſtatim dignitates à Viſitatoribus non invitè dictâ facultate utentibus transferuntur. Ita Iudicibus partim honoris cupiditate incitatis,
partim

partim infamiæ ſuppliciorumque metu perculſis, vaſtum illud Chinæ Imperium nulli in toto orbe adminiſtratione Iuſtitiæ cedit:ut fatebitur non difficulter quiſquis ea , quæ varijs hujus hiſtoriæ partibus diximus,comparaverit illis,quæ in alijs Regnis obſervavit,& de ijs legit.

3. Iidem & ſtudia,quæ in qualibet Rex habet Provincia, viſitare ſolent, examinare ſingulos ſtudioſos, animare ac laudibus extollere diligentes, pigros verberibus, carcere, atque è ſtudijs projectione punire. quæ ſpecialiùs opportuno loco exequemur. (a)

CAPUT XII.

Carceres, quibus utuntur, & extrema malefactorum ſupplicia.

1. VBi ſeveri ſunt Iudices, lenis expectari carcer non poteſt. In China certè horrìdi ſunt & pœnoſi,ut metu , ſi aliter in maximo populiſque frequentiſſimo Imperio non poſſint,pacem ſtabiliant:In qualibet ſingularum Provinciarum(quindecim illas eſſe ex ſupra dictis conſtat) metropoli carceres ſunt tredecim,altiſſimis cincti muris ac eâ capacitate, ut præter Phylaciſtæ,miniſtrorumque,ac cuſtodum,qui nunquam deſunt, militum habitacula, complectan-

(a) *Cap.* 13.

tur ambitu ſuo ſtagna, hortos, areas, ad eorum, qui ob leves illuc cauſas conijciuntur, deambulationes & oblectamenta: tabernas quoque, quæ cibos parent & vendant, ac officinas, in quibus proſtant quæ carcerati manibus operantur, ſine quibus difficilis eſſet eorum ſuſtentatio ob captivitatis diuturnitatem, quam, tametſi ob cauſam non admodum gravem concluſi, ſuſtinere coguntur, quòd Iudices tàm ob magnitudinem civitatum quàm cauſarum multitudinem tardiſſimè expediant, poſt ipſas etiam ſententias in earum executione lentiſſimi. Inde fit non-raro, ut homines morti adjudicatos priùs aut gravis ætas, aut carceris aſperitas, aliave infirmitas è vivis auferat, quàm lata in eos ſententia compleatur. Quatuor ex tredecim carceribus ut plurimùm damnati ad mortem occupant, quos ſingulos Centurio cum centum militibus, diſtributis in horas nocturnas diurnaſque vigilijs, cuſtodit.

2. Ex collo cujuſlibet morti adjudicati tabula ad genua uſque dependet ulnæ latitudine inſcriptam habens condemnationis cauſam ex Iudicis libro ſumptam: cui ſimilis ſub Phylaciſta eſt, ut Viſitatori alijſque Iudicibus, ſi eam petant, commodè prompteque rationem reddat. Illos (a) pedicis manicíſque compeditos porticibus, unde in areas eſt proſpectus, includunt

(a) *morti adjudicatos.*

dunt carceris miniſtri & extendere ſuper tabulata ad id facta pronos jubent, tranſmiſſiſq; per annulos ferreos, qui inter ſingulos captivos intercurrunt, catenis tam fortiter conſtringunt, ut nulla movendi ſe ſit facultas quos præterea ligneis tabulis contegunt, ut ſola in conſpectum capita emineant, tormento adeò immiti, ut plurimi voluntariâ ſe morte illi eripiant. De die ablatis maniciſque libertatem ad opus, quo ſe ſuſtentent, indulgent. Quibus præter manuum laborem nullus ſuppetit cenſus, certam orizæ portionem Rex ſubminiſtrat, non quâ à labore excuſentur, ſed quâ facilior ſit ſuſtentatio.

3. Capitalis nunquam ſententia executioni niſi Viſitatore aut Iudice inſpectore, quos *Chaenes* & *Leuchis* vocant, advenientibus mandatur qui ſecretâ, ut dictum eſt, viſitatione peractâ, carceres quoque viſunt exiguntque cathalogum & cauſas damnatorum, quas etſi Rex ac ſupremum Concilium confirmârint, revident aſſumptis ſecum, qui ſententias mortis pronuntiârunt, Iudicibus, aut qui eorum pro tempore ſervant locum, ut ex eorum ore culpas audiant damnatorum, iiſque cum ſententijs comparatis aut probent judiciorum æquitatem, aut reprobent injuſtitiam. Hoc peracto ex omnibus ſeligunt quinquaginta facinoroſiſsimos, dato Philaciſtę mandato, ut paratos

tos habeat, ut ad ſupplicij locum duci poſſint. Tunc rurſum culpas examinant attenti, an nihil in illis excuſationis aut imminutionis inveniri poſsit. Quod ſi vel exiguum apparet, eos à reliquis ſecernunt. Tùm tribus tormentis bellicis, quæ exploduntur, ſignum dant educendi ſupremo ſupplicio perimendos. Dùm educuntur culparum repetunt examen obnixo ſtudio, ut quemquam morti eripiant. Quod ſi conſequi non poſſunt, aliorum pari numero tormentorum mugitu pergere ad ſupplicia noxios foras jubent, ne tunc quidem clementiæ immemores, aut examinum toties iteratorum tœdio ſuperati: etenim non ante Concilium ſolvunt, quin denuò ſummariâ conſideratione culpas percurrerint, in quibus ſi vel per rimam innocentia ſe oſtendat, ex campo ad carcerem reducunt, nonnullos certè invitos, qui unâ morte redimere mallent tot & tàm diuturnas carceris aſperitates. A conſultationis exordio donec concludatur, conſidentes in cinerum cumulis malefactores, dato illis cibo, ſe reficiunt. Si tot pro liberatione ſtudia criminum enormitate ſuperentur, exploſis tertiâ vice tormentis, ſupplicia, quæ cuilibet ſententia inflixit, inferuntur.

4. Suppliciorum genera ſunt crux, palus, ignis: hoc poſtremo ſoli Regis proditores afficiuntur. Finiente tormentorum ſonitu, incipit campanarum, magnuſ-

que in civitate per totam veſperam (hoc ſcilicet tempus ſupplicijs exercendis ſumunt) tumultus. Suppliciorum diem clauſis officinis feriati agunt, donec poſt ſolis occaſum occiſorum corpora, quæ magnâ frequentiâ comitantur, in terram intulerint. Alterâ die fures, quos plurimùm Chinenſes abominantur, viſitant; furti convictos ſuſpensâ è collo tabulâ delicta, quo jam diximus modo, exprimente per publicas plateas in dedecoris augmentum trahi, fuſtigarique tres quatuorve dies jubent. Pronos conijciunt in terram, religatiſque poſt terga manibus ſuras pedum arundinibus quatuor digitos latis & unum craſsis, quas priùs aquis humectârunt, impetunt duo carnifices, quiſque unam ſuram quatiendo, crudeliſsimo certè tormento, cujus ſex ictus debiliorem reum, quàm ut pedibus conſiſtere poſsit, reddunt, quinquaginta plerumque extinguunt: ideoque plurima furum pars his cruciatibus immoritur, quamquam ut plurimùm ducenti pariter illos ſuſtinere cogantur. Triſtis computus ſed certiſsimus, fuſtigatorum tàm in carceribus, quàm in plateis quotannis in qualibet ſingularum Provinciarum metropoli è vivis excedunt ampliùs ſex millia. His ſemper ſupplicijs Iudices interſunt, intereà iocis, luſibus, poculis, ſimilibuſque diverticulis, ne miſerorum ejulatibus victi miſereſcant, diſtracti.

 5. Adul-

5. Adulteri morte puniuntur: leno uxoris aut qui ejus turpitudini indulget, quod nunquàm accidit niſi in viliſsima plebecula, acerbiſsimis, quæ propterea inventa ſunt, ſupplicijs cruciatur.

CAPVT XIII.

Chinenſium literæ, ſtudia, ſcholæ; aliaque quædam curioſa.

1. NOn erit à propoſito alienum, ſi poſtquam de Chinenſium regimine, eorum in aſtrologia & Philoſophia naturali æquè ac morali excellentia, plurimiſque ſimilibus rebus, quæ curioſitati neque ingratæ eſſe poſſunt neque inutiles, diximus, ad literas eorum, ſcribēdi modum ac ſtudia deflectamus. Rari ſunt qui legere & ſcribere ignorent. Literis more Europæorum non utuntur, ſed figuris, quas non niſi longo temporis ſpatio magnâque difficultate addiſcunt, quòd cuilibet penè voci reſpondeat propria: Vt earum numerus ſuprà ſex millia excurrat. Formant autem eas ſingulari agilitate, prout à noſtris non ſemel in Inſulis Philippinis, in Chinen-

Chinenſibus, qui ibi morantur & quotidie appellunt, obſervatum eſt. Illorum idioma ſcriptum aptiùs quàm pronuntiatum intelligitur, quòd, ſicut Hebræum, exiguorum punctorum notis, quas pronuntiatio ægrè diſtinguit, characteres diſcrepent.

2. Scripturam non à ſiniſtra in dextram, quod nos facimus, deducunt, ſed à ſumma deorsùm, lineis egregiè parallelis, quas in dextro priùs papyri latere efformant, inde in ſiniſtrum pergentes. Idem in impreſſione ſervant, ut videre eſt Romæ in Bibliotheca ſacri Palatij, & in Caſtilia in monaſterio ſancti Laurentij, quod ſexto à Madrito lapide magnificentiſsimum (vulgò *Eſcurial* dicitur) Philippus Secundus excitavit. In quibus alijſque locis veriſsima eſſe deprehēdentur, quæ nunc de Chinenſium characteribus ac modo ſcribendi dicimus. Dictu mirum, quòd, cùm plures ſint diſcrepanteſque in Regno Chinenſi linguæ, ſcripto ſe invicem omnes intelligant, non pronuntiatione. Cauſa eſt, nam cùm una omnibus figura idem ſignificet, non uno tamen vocabulo eandem omnes rem exprimunt. Atque ita cum Chinenſibus negotiantur Iapones, Lechij, Sumatræ, regni *Quachinchina* indigenæ, alijque finitimi, qui

non magis loquelâ mutuò intelligunt, quàm Germanos Græci.

3. Scholas in ſingulis civitatibus ſuis ſumptibus Rex inſtituit, in quibus lecturæ & ſcripturę elementa, Arithmeticam, Philoſophiam naturalem ac moralem, Aſtrologiam, Ius, profitentur in qualibet arte eminentiores. Elementa nemo negligit, etiam pauperrimus, quod eorum ignorantia infamiæ apud illos deputetur. Ad altiores quoque facultates magno numero ſtudioſi confluunt impigro labore incumbentes ſtudijs, per quæ ſciunt compendioſiſſimâ viâ ſcandi ad dignitates *Loitias* & nobilium, ut prolixiùs capite ſequenti dicemus.

4. Ad omnia ſtudia majora æquè ac minora Rex quotannis Viſitatores deputat, qui de Profeſſorum aptitudine, ſtudioſorum profectu, rebuſque, quæ ad bonam eorum adminiſtrationem pertinent, inquirant. Hi ingenioſos diligenteſque laudant animantq; ad altiora: caſtigant ac etiam in carceres detrudunt deſides, qui naturæ bonitati ſuâ ignaviâ deſunt: ſtupidos & à ſtudiis averſos ut melioribus pateat locus, extrahunt.

5. Chartam ex arundinum telis non magnâ difficultate conficiunt, ex cujus copia pretij, quo ipſa librique venduntur, vilitas proceſſit: ejus teneritudo

non

non niſi ab una facie ſcripturam admittit. Pennarum ad ſcriptionem, qualis eſt in Europa, nullus eſt uſus, ſed ex arundine calamorum, quorum extremitatibus capillos inæqualis longitudinis illigant, ut vix diſcrepent a penicillis pictorum Europæis, quibus tamen inſigni nitore characteres efformant, nonnulli etiam excellunt, non exiguâ eſtimatione. Literarum, quas honoratioribus perſonis deſtinant, totos auro margines illuſtrant, eaſque leniter complicatas deaurato & variè picto ex eadem charta vidulo immittunt, ſigillum non literis, ſed vidulo imprimentes. Earum tam frequens eſt uſus, ut perſonaliter alios viſitaturi ſecum eas deferant, tametſi ſæpè non ampliùs decem characteribus notatas, quibus ſe ad oſculādas amici manus veniſſe ſignificant. Tales literas paſsim omnis generis bibliopolæ vendunt, ſive ad nobiles ſcribendum ſit, ſive ignobiles; ſive rogandum quippiam ſit, ſive reprehendendum, ſive commendandum. Quidquid demum factum deſideres, in his officinis congruas voluntati tuæ literas reperies, ut pro ipſis etiam ad pugnam provocationibus non deſint, in quibus nihil eas ementi ſupereſt faciendum, quàm ſubſignare, claudere, deſtinare. Hæc aliaquê ſcitu non injucunda, quæ hujus hiſtoriæ brevitate, quam ex propoſitò ſectatus ſum, conſtrinxi, evidens dabunt, licet

latius

latius non diffundar, teſtimonium induſtriæ Chinenſis.

CAPVT XIV.

Ciradus Loytias ſuſcepturorum examina; graduum forma; deductionis per civitatem ſolemnitas.

VIſitatoribus, quos ad Provincias à Rege ejuſque Concilio mitti diximus, inter cætera incumbit etiam ſtudia viſitare, acceptâ examinandi poteſtate, & conferendi, abſolutis ſtudiorum annis, benemeritis & aptis gradus, qui ſunt publicum velut nobilitatis, quâ eos Rex honorat, & ad quælibet tribunalia aptitudinis teſtimonium. Horum formam (quam ſcitu arbitror digniſsimam) prout eam ex R. P. Martino de Herrada Auguſtiniano ejuſque ſocijs, oculatis Auchei teſtibus, didici, modò exequar. Finitâ viſitatione, laudatâ in principali ciuitate probitate & malitiâ caſtigatâ, (a) publico præconio ad eandem civitatem evocat ſtudioſos, qui poſt longos impigroſque labores gradum *Loytia* prætendunt, quâ voce licet apud illos nobilis ſignificetur, à noſtratium tamen Doctoratu non diſcrepat. His, ubi advenerunt, cathalogo adſcriptis diem examinis Viſitator præfigit, ad

(a) *vide ſuprà cap. 11. & 12.*

ad quod honoris ac celebritatis ergò omnes invitat, qui ſunt in civitate, *Loytias*, quorũ ſocietate rigoroſiſſimo promovẽdos examine pertentat, maximè tamẽ de legum Regni peritia & integritate morùm ſollicitus. Quos approbat, rurſum conſcriptos adeſſe ad ſtatutum graduum ſuſceptioni diem jubet. *Loytiarum* inſignia, quæ ſolemni prorſus ritu à Viſitatore conferuntur, ſunt cingulum auro vel argento inſerto fulgidum, & pileus limbos habens certo modo acu-pictos; his à vulgo diſcernuntur, neque ſine illis prodire in publicum ulli *Loytiæ* fas eſt.

2. *Loytias*, cùm eorum non unum ſit genus, aut doctrinæ facit excellentia, aut heroica in armis facinora, aut Regis favor, æſtimatione tamen apud populum admodùm differente. Nam Regium Concilium, Pro-reges, Præfecti, Viſitatores, ſunt *Loytiæ* qui per ſcientiæ probationem, eam ſunt dignitatem adepti; quam Centuriones, Prætores, Theſaurarij debent Regiæ gratiæ aliqua illorum obſequia remuneranti. Tales in qualibet civitate ſunt plurimi, nullâ honorum, quales alijs deferuntur, verùm ſolâ nobilitatis prærogativâ fruentes. Secundi generis *Loytiæ* parem penè cum primis venerationem obtinent, quam præclaris militiæ factis meruerunt, belli autem duces Regiâ authoritate fulti cum ipſa dignitate contulerunt.

His præter titulum, quæſtuoſa inſuper ac decora ſtipendia attribuuntur, Chinenſibus forte omne audax in bellis facinus non æſtimantibus modò, verùm & liberaliter remunerantibus. Ideoque gregarij milites duplici honoris & commodi ſtimulo incitati promptiſsimorum facta æmulantur.

3. Pompam, quâ novos *Loytias* per civitatẽ deducunt, nec planè omittere utpote cognitione jucundam, nec proſequi prolixè poſſum, ne à ſtudio brevitatis recedã. Hac igitur, quantùm poſſum, ſervatâ rẽ dicere aggredior. Statuto gradibus die omnes rursũ illius civitatis *Loytiæ* ad celebritatẽ veſtiti cum Viſitatore in Regias ædes, in quibus examen inſtituerant, conveniunt. Ingrediuntur in eandem aulam graduum candidati venuſtè induti ſuo ſingulis patrino inſignia præferente, quæ ipſi profundâ humilitate genuflexi petunt ſibi à Viſitatore conferri. Auditâ candidatorum ſupplicatione Viſitator ſolemne exigit à ſingulis juramentum, *ſummâ ſe diligentiâ officia, cùm aſſumi ad illa continget, curaturos; adminiſtraturos pro momentis cauſarum juſtitiam, nulla ſuſcepturos munera, Regi fidelitatem ſervaturos, nec conſenſuros ulli adverſus eum proditioni*: &c. Finito juramenmento Viſitator Regis nomine inſignia imponit, tribuitque annexa illis privilegia, ipſo mox omnes amplexante, & cæteris poſt eum *Loytijs*. Ex aula deinde

ordinatè

ordinatè foras procedunt ſonantibus per civitatem, quæ multæ ſunt optimæque, campanis, & tormentis bellicis non exiguo per mœnia tempore mugientibus, & obire cum candidatis compita pergunt. Præeunt non exiguo numero milites inflãtes tubas, tympana verberantes, ac alijs modulantes inſtrumentis: ſequũtur plurimi apparitores: Succedũt *Loytiæ* omnes aut equis vecti aut ſedibus lati: poſt hos patrini: poſtremi verò recens graduati in candidis equis aureo panno ſplendidè phaleratis. Geſtant ſinguli tranſverſum ex humeris ex multicio (a) baltheum, & in capite pileum cum defluentibus in tergum duabus exiguis vittis, quales in Epiſcoporum mitris Chriſtiani conſpicimus; geſtamine nulli præter *Loytias* permiſſo. Pileis injecti ſunt duo ex auro vel argento deaurato ramuſculi palmę naturam artificio æmulantes, ſingulis ſex ſericos (b) pannos quatuor viri præferunt: His, quod ſuſtinuerunt, examen & in qua ſcientia, acceptos titulos & inſignia inſcripta aut depicta oſtentant. Multa tranſeo, ne obequitationis moram, quæ eſt horarum octo, narrationis longitudine ſuperare velle videar. Dies iſte civitati feſtus eſt, multis choreis celebratus: Principaliores adjiciunt celebritati duos aut tres ſequentes, in quibus convivia novis *Loytijs* inſtruunt & adeptam dignitatem gratulantur, ejus amici-

(a) *Tafetas.* (b) *Satin.*

amicitiam ambitioſis obſequijs promereri ſatagentes.

4. Ab hoc tempore facti omnis officij Præfecturæque capaces mox ad aulam contendunt, altiores honores, propter quos alius præceſſit, ſollicitaturi, inſignium, ut faciliùs in notitiam irrepant, non immemores, ideoque magnâ ubique in itinere veneratione culti, & ædibus quas ob id in ſingulis Rex habet pagis, recepti. In regia civitate mox Præſidi obedientiam præſtituri eum inviſunt, omnes deinde Auditores; qui ſuſceptam dignitatem egregiâ illis humanitate gratulantur, additis inſuper feriò promiſſis nullam ſe occaſionem neglecturos, ut congruentes examini & gradui honores conſequantur. Monent etiam ut primas adminiſtrationes fideliter pro juramenti ratione obeant, reputentque illas gradus eſſe ad majores. Atque ita in cathalogum Concilij relati, obſequioſo famulatu Auditoribus adhærent, donec publicis munijs adhibeantur. Illorũ autem in ampliſſmo regno multitudine fit, ut citiùs occurrant, quàm ut expectationis diuturnitate laſſari poſſint.

C A-

CAPVT XV.

Multis priùs, quàm in Europa, annis fuit in China uſus tormentorum bellicorum.

1. NIhil Luſitanis, qui primi in ciuitate *Canton* exercere mercaturam cœperũt, aut Caſtellanis, qui ex Inſulis Philippinis poſteà in Regni Chinenſis penetralia ſunt admiſſi, inter tot alibi incognita viſum mirabilius, quàm reperiſſe ſe in eo tormenta bellica, eorumque uſum multò anteriorem Europæo, quem anno M. CCC. XXX. Germanus quidam introduxit, cujus nomen in odium inſtrumenti ad generis humani perniciem fabricati hiſtoria cognitioni ſubtraxit, cui inventoris nomen meritò Chinenſes negandum cenſent, quod non alijs competit, quàm his qui ſuâ induſtriâ primò illud mundo tradiderunt. Illud Chinenſes primo ſuo Regi *Vitey* adſcribunt, eumque, dum à Tartaris bello impeteretur, fuiſſe à ſpiritu ſubterraneo edoctum, quo ſe de cruentis hoſtibus majori eorum ſtrage vindicaret. Si notata in eorum hiſtorijs indicia conſiderentur attentiùs, fuit ſpiritus iſte immitis humani generis inimicus, qui his machinis tot illud cladibus ſæpiſſimè adflixit, & ir-

ruente velut diluvio oppreſſit. Accipit hæc opinio robur, quod *Vitey* magus fuerit ex herbæ, quam in area palatij habebat, motu reconditos in cordibus hominum conatus cognoſcens. (a) Si tamen immenſitas temporum, quæ à *Vitey* Rege ad ſæcula noſtra interceſſit, fidem imminuat, iſtud certè indubitatum eſt Chinenſes, dum ad Regnum Pegu & Indiam Orientalem, ut ea ſubjugarent, arma ſua promoviſſent, à quo amplius mille quingenti anni effluxerunt, ſimilibus ad facilitatem victoriæ inſtrumentis uſos, quorũ nõ veſtigia modò, ſed manifeſta in illis regionibus reliquerũt monuméta, ipſas ſcilicet, illas machinas, quas poſt multa ſæcula ibidem Luſitani reperêrunt Regni Chinenſis inſignibus ac fuſionis annis, qui illorũ bellorum annis reſpondebant, notatas. Quas R.P. Herrada ejuſque ſocij Auchei viderunt, (b) ajebant antiquas eſſe ac impolitas, atque pro maxima parte ad ejaculanda ſaxa fabricatas: In alijs verò Regni Provincijs intelligant optimas eſſe nitidaſque. Tales fuerint, de quibus Artieda Centurio ad Hiſpaniarum Regem, quem de rebus Chinenſibus iſtâ epiſtolâ docet, ſcribit in hunc modum, *Vtuntur Chinenſes omnis generis armaturâ quâ Europæi, machinæque bellicæ,* (c) *quas habẽt, optimæ ſunt atque ſi ex illis, quas vidi, de reliquis judicare licet, pul-*

(a) *Supra hoc lib. cap.* 1 *.nu.* 2. (b) 2*. part. lib.* 1*. cap.* 23*. n.* 3. (c) *Artilleria.*

pulchræ, & noſtras fuſoris artificio & fortitudine ſuperantes.

2. Habent in ſingulis civitatibus domos in quibus eas fundunt. Fuſas non in caſtris, quæ toto Regno nulla ſunt, ſed in ipſis civitatum collocant portis (a) ex quibus, craſsis muris, foſsiſque profundis; in quas ex vicinis fluvijs aquas pro libitu, neceſsitate urgente, derivant, omne æſtimant in illo Regno munimentum. Ad unamquamque civitatum portam Centurio cum frequente milite diu noctuque vigilias agit, ne quis peregrinus ſine Præfecti licentia ingrediatur. Ex his patet clarè, quod propoſueram, tormentorum bellicorum in China præ noſtris antiquitas, eandem illis palmam capitulo ſequenti in prælo impreſſorio conceſſuri.

CAPVT XVI.

Etiam prælo impreſſorio priùs uſi Chinenſes quàm Europæi.

1. BEneficia Orbi univerſo per prælum impreſſorium collata, etſi nihil aliud, copioſiſsimè loqueretur conſervata tot heroum & Virorum virtutibus, ſcientijs, armis &c. illuſtrium memoria, quæ in ipſis eorum cineribus ſepulta ſine eo interiiſſet, & evaneſceret modò plurimorum ad magna facinora, illa præcipuè, quæ ſine vitæ diſcrimine tentari non poſſunt,

(a) *2. parte lib. 1. cap. 23. nu. 3.*

ſunt, ardor, ſi putarent homines nullam vitæ gloriam aut decus ſupereſſe. Verùm iſtis aliiſque plurimis tàm ingenioſæ inventionis utilitatibus, ſtudio brevitatis, prætermiſsis titulo capitis ſatisfacere conabor, paucis ex magna eorum copia, quæ in Europæis Chinenſibuſque Hiſtorijs ſuppetit, adductis exemplis. Communi opinione cœpit in Europa ars impreſſoria anno Verbi Incarnati ſuprà milleſimum quadringenteſimũ quinquageſimum octavũ, cujus inventio Ioanni Guttenberch Germano adſcribitur; putaturque certum primos ad imprimendum characteres Moguntiæ fuiſſe efformatos, unde alius Germanus Conradus nomine hanc induſtriam traxerit in Italiam. Creditur etiam libros, quos S.P. Auguſtinus de Civitate Dei inſcripſit, ſub prælo, inſolito onere, ſudaſſe omnium primos. Chinenſes verò tàm egregiæ inventionis gloriã ſibi vendicant, ejus originem viro, quem pro ſancto venerantur, attribuentes; æſtimanteſque hinc ejus uſum in Germaniam per Ruſciam & Moſcoviam, quò ex China terreſtri itinere perveniri poteſt, per mare item Rubrum ac Arabiam felicem à mercatoribus delatum: unde Ioannes ille Guttenbergicus ſumpſerit imitandi exemplum. Quâ veritate, quam illi ex indubitatis aſſerunt monumentis, poſitâ, manifeſtum evadit ad nos ex China tranſlatam inprimendi inventio-

ventionem. Quod Chinenſium aſſertum libri quingentos annos ab illis impreſſi & etiam-num exſtantes, antequàm ſuæ computent impreſsionis exordia Europæi, confirmant. Ex his unus penes me eſt, alios plures vidi in India, Hiſpania ac Italia. R. P. Martinus de Herrada ejuſque ſocij, cùm ex China ad Inſulas Philippinas redierunt, plurimos tomos diverſarū materiarum in varijs Regni locis, maximè tamen in Provincia *Ochiam*, quæ elegantiâ & multitudine prælorum cæteras antecellit, impreſſos, & *Auchei* coëmptos advexerunt, emiſſentque plures, cùm eſſent ibi bibliothecæ inſtructiſsimæ, niſi Pro-rex vetuiſſet. Timebat forte ne eorum lectione in ſecretorum Regni, quæ ſtudioſiſsimè externos celare ſatagunt, notitiam devenirent, humanitate tamen prohibitionem texit., aſſerens ſupervacaneos eſſe illos in alieno regno ſumptus, ſe gratis, quoſcumque voluiſſent, tributurum, quod poſteà ſeu occultandorum ſecretorum cautelâ, ſeu oblivione non præſtitit. ([1]) Priùs verò quàm Pro-regis mandatum ad eos deferretur, comparaverant non exiguum eorum numerum, ex quibus pleraque, quæ in hac hiſtoria ſummatim libavimus, ſunt deducta, ut dùm uberior eorum expectatur futuris temporibus cognitio, hæc tamen aut Regem

S noſtrum

([1]) *2. parte lib. 1. cap. 15. nu. 3. & cap. 16. nu. 2.*

noſtrum aut alios Europæos non lateant. Scio ſanè, cùm plura iſtiuſmodi vulgare poſſem, de nimia brevitate fuiſſe culpatum, malui tamen nonnulla, quæ ob ſui inſolentiam vituperium potiùs & irriſionem quàm fidem eſſent conſecutura, niſi novis aliorum teſtimonijs eorum magis veritas pateſceret ac roboraretur, ſtudio præterire. Atque ut planè falſitatis aut nimiæ exaggerationis ſuſpicionem tam ab his quæ ſcripta à me ſunt, aut de hoc ſubjecto ſcribentur, amoliar, operæ pretium duxi dictorum librorum hîc titulos annotare.

CAPUT XVII.

Libri quos ex China R.P. Martinus de Herrada ac ſocij advexerunt; eorum ſubjecta:

Libri iſti multi erant & diverſorum ſubjectorum, ut ex dicendis eorum titulis mox conſtabit.

Deſcriptio totius Regni Chinenſis, ac in qua ejus parte quælibet ſit Provincia, longitudo & latitudo ſingularum, ac regna illis finitima.

De tributis, ac cenſibus Regi debitis: aulæ regimine, mercedibus ſingulorum ordinarijs, de miniſtris & limitatis eorum functionibus.

De

De ſolventibus in qualibet Provincia tributum, numero exemptorum, ac exigendorum tempore.

De navium varij generis architectura, navigandi inſtructione, portuum ſingulorum altitudine & qualitatibus.

De Regni Chinenſis antiquitate, mundi exordio, quando ac per quem inceperit.

De Regni Regibus, eorum ſucceſsione, ac forma regiminis, vita ac moribus ſingulorum.

De cæremonijs ſacrificiorum quæ idolis velut Dijs ſuis offerunt: idolorum nominibus ac ortu: ſacrificiorum tempore.

Chinenſium de animæ immortalitate, cælo, ac inferno opinio: ſepulturæ ac exequiarum ritus: lugendi obligatio; & ad quos conſanguinitatis gradus hæc ſe obligatio extendat.

De legibus Regni, quando & per quem latæ: tranſgreſſorum pœnis, alijſque ad politicam pertinentibus.

Plurimi libri de herbis medicis ac modo eas applicandi, ut proſint & ſanent.

Alij præterea de medicina Authores veteres & moderni: De medijs quibus ſe ægroti curent, & ſani ab ægritudine præſervent.

De petrarum ac metallorum proprietatibus, re-

rum naturalium virtutibus: quomodo geminæ, aurum, argentum aliaquaque metalla vitæ humanæ utilia eſſe poſſint, & qualiter ſe mutuo iſtâ utilitate excedant.

De cælorum, planetarum ac ſtellarum motu & numero, effectibus & influentijs.

De regnis ac nationibus omnibus in quorum notitiam devenerunt, ac rebus ab ijs geſtis.

De hominum, quos pro ſanctis habent, vitis, ubi eas egerint, ubi finierint ac ſepulti ſint.

De alearum, latrũculorum ac manualibus luſibus.

De Muſica ac cantionibus eorumque authoribus.

De Mathematica & Arithmetica ac regulis earum ſcientiam facilitantibus.

De fœtus in ventre matris operationibus, ejus per ſingulos menſes ſtatu & ſuſtentatione: quæ ſunt commoda vel incommoda naſcendi tempora.

De Architectura omnis generis: quæ ſit apta longitudinis & latitudinis in ædificijs proportio.

De fertilis, ſterilisque terræ proprietatibus ac ad eam diſcernendam indicijs quos quælibet ſit fructus uberiùs productura.

De Aſtrologia naturali & judiciaria atque ad eas ediſcendas regulis, de formandis ex quibus prædîcant, figuris.

De

De Chiromantia Phiſiognimia alijſque ſignis & ſingulorum ſignificationibus.

De epiſtolarum conſcribendarum ſtylo, & titulis cuilibet pro dignitate & qualitate adſcribendis.

De equorum educatione & diſciplina.

De divinationibus per ſomnia, & ſortitionibus cùm iter aliudve opus, cujus incertus eſt eventus, aggrediuntur.

De populi Chinenſis, præcipuè verò Regis veſtitu, ac Rectorum inſignibus.

De armis ac bellicis inſtrumentis fabricandis & inſtituenda rectè arte.

Hos alioſque libros plurimos dicti Patres ex China in Inſulas Philippinas intulerunt, & per eos rerum, quas in hac hiſtoria tractavimus tractabimuſque, notitiam, interpretibus è China oriundis, & in Inſulis Philippinis degentibus in conſortio Hiſpanorum, qui affirmabant ſe in Regno Chinenſi, maximè in civitatibus *Chincheenſi* (a) & *Aucheenſi* (b) luxuriantes omni librorum genere bibliothecas conſpexiſſe.

(a) *Chincheo.* (b) *Aucheo.*

CAPVT XVIII.

Chinenſium convivia & feſtivitates.

1. QVia non ſemel conviviorum Chinenſiũ meminimus, non abs re me facturum exiſtimo, ſi eorum apparatum modumque, qui multum ab Europæis diſtant & grati erunt multorum curioſitati, non omittamus. Nulla magis gens quàm Chinenſis epulis indulget. In cauſa ſunt, opulentia, otium, ignorantia rerum cæleſtium, & ornandi ſpiritus incuria. Nam tametſi, ut ſuprà diximus, (a) fateatur animæ immortalitatem, ac manere eam poſt hanc vitam præmia virtutũ & ſcelerum pœnas, obſcura hæc cognitio eſt, & imbellis ad difficilem animæ culturam, quare tota ad corporis voluptates converſa omnigenas delectationes ſectatur.

2. Mos eſt quocumque invitatorum numero convivia inſtituantur ſingulis ſingulas tribuere menſas, quas habent nitidas admodum, deauratas, ac variè volucribus, nemoribus & ferarum venationibus, quæ plurimùm viſum oblectant, depictas. Nullas illis mappas inſternunt, ſed cingunt damaſcenâ aliâve ſericâ telâ ad ſolum defluente. Angulos fiſcellis onerant

(a) *Lib.2. Cap.6.*

aureo

aureo argenteove filo artificioſè contextis, quas floribus & ſaccaro variè in elephantes, canes, cervos, aliaque multa quadrupedia & volucres elaborato, quod auro inſuper vel argento inducunt, replent: medium cibis occupant egregiè diſpoſitis, carnibus piſcibuſque, ex quibus multa ſapidiſſimè jura conficiunt, & lancibus porcelanis argenteiſve inferunt. Argenteæ tamen non apud alios quàm Pro-reges in uſu ſunt. Mapparum neceſſitatem fuſcinulæ, quibus cibos etiam minutiſſimos dexterrimè comprehendunt & ad os immaculatè adducunt digitis eos nunquam complectentes, excluſerunt: hoc vel ex ligno deaurato habent vel auro argentove. Frequenter ſed parùm bibunt, exiguis propterea ſciphis utentes. Convivijs omnibus mulieres adſunt, ſuis luſibus, cantibus facetijſque ad augendam accumbentium hilaritatem intentæ: muſici item, ſchœnobatæ, & comœdi lepidiſſimi. Epulo uno maximam diei partem abſumunt, ferculorum, quæ non raro ſupra centum ſunt, abundantiâ & diverſitate detenti, ut in convivijs à Præfecto Chincheenſi (a) & Pro-rege Aucheenſi inſtructis experti ſunt Auguſtiniani.

3. Plures ſingulis convivis menſas ſtatuunt, menſarum numero perſonarum dignitatem æſtimantes. In prima, cui invitatus accumbit, ponuntur cibi parati & fiſ-

(a) *2. parte lib. 1. cap. 20. cap. 24. & 24. nu. 4.*

& fiſcellæ ſaccaro & fructibus plenæ pro bellarijs ſervituræ; in reliquis, licet viginti non eſſent pauciores, cibi crudi, ut capones, anſeres, anates, gallinæ, pernæ, caro bubula ſalita, aliaque hujuſmodi, magnâ abundantiâ & varietate, quæ non ante è menſa tollantur quàm dum finito epulo diſcedendi indicium conviva dederit, cui ad domum abeunti eos præferunt famuli invitantis, relinquuntque magnâ humanitatis teſtificatione. Si Proregi aut Legato alicui epulum inſtituunt, cenſus ſuperant magnificentiâ ad viginti nonnunquam dies continuatâ, ut eâ poſtremus dies cum primo certare videatur.

4. Feſtivitates omnes noctibus celebrant, atque ut plurimùm novilunijs. Solemniſſimũ verò habent anni primum diem, qui eorum opinione eſt primus novilunij Martiani. Quo die præter muſicam, quæ alijs celebritatibus eſt communis, pretioſiſsimas mares fœminæque veſtes & gemmas ſumunt, domos portaſque ſericis tapetibus & aureis telis ornant, ac ſternunt floribus & roſis, quæ anni tempore tam maturo magnâ ſe copiâ in iſtis mundi partibus aperuerunt. ad omnes portas arbores erigunt prægrandes è quibus plurima luminaria ſuſpendunt. Arcus triumphales, quos in plateis eſſe diximus frequentiſſimos, viridibus ramis & damaſcenis ſericiſq; tælis tectos tædis illuſtrãt.

5. Præ-

5. Præſũt feſtivitatibus Sacerdotes ditiſſimè veſtiti, cælo idoliſque ſacrificia multis hymnis in altaribus offerentes. Breviter, diem illum communi lætitiâ agunt, non vocum tantùm ſuavi modulatione, verùm etiam inſtrumentorum muſicorum luſu, cujus ſunt peritiſſimi: doctiſſimi item voces inſtrumentis & inſtrumenta vocibus mirabili concordiâ maritare. Pleriſque ſuavitatem vocis natura indulſit. Non in naſcentis anni feſtivitatibus minus quàm convivijs ſuas comœdi partes egregijs leporibus & competenti cuilibet veſtitu ac geſtibus agunt. Menſæ intereà vario carnium, piſcium, ſaccari fructuumque genere onuſtæ totis feſtivitatum diebus in gulæ obſequium ſunt paratæ; vina quoque ex palma expreſſa & mixturâ in dulcem compoſita ſaporem, quibus ſe Sacerdotes populuſque ad ſaturitatem ingurgitant. Promiſcuè & incunctanter credunt nõ aliâ reliquos anni dies conditione hilaritatis mœſtitiæve decurſuros, quàm primus ille præceſſerit. Idem in nuptijs & auſpicatis rerum eventibus arbitratur natio triſtitiæ omnis averſatrix.

CAPVT XIX.

Mutuæ Chinenſium ſalutationes.

1. NVlla ſcitur in Vniverſo Orbe natio tam barbara aut adeò humanitatis expers, quæ eam non aliquo ſigno, dùm mutuò occurrunt aut viſitant vel negotia agunt, manifeſtam reddat. Hoc hiſtoriæ omnes veteres modernæque ſatis ſuperque teſtãtur, & proprio in omnibus regionibus recens detectis didicimus experimento. Omnes tamen, ſi ijs credimus qui cum illa ſunt converſati, Chinenſis excedit. Tot enim ſunt & tam uſitati ſalutationum modi, ut libris deſcribantur, doceantque tenellam ætatem ne adulta eorum ignorantiâ peccet. E quibus depromam, qui ita noſtrum probare propoſitum poſſint, ut non obſint ſervatæ hactenus brevitati.

2. Non ſe, dùm mutuò occurrunt aut vident, ſalutare, inhumanum reputant, licet levis dumtaxat notitia præceſſiſſet. Modus ſalutãdi popularis hic eſt: mutuo occurſu, ſiniſtrã manũ clauſam dextrâ contegũt, ac junctas ambas ad pectus multis capitis inclinationibus adducunt, ut ſignificent non arctiùs invicem manus quàm ſe amore conſtringere, qui in corde fortiùs

tiùs radicem fixerit quàm externi geſtus loquantur; quod eodem tempore prolixis verbis explicare contendunt. Verùm curioſior multò nobilium, ut eſſe ubique ſolet, in occurſibus eſt humanitas. Subſiſtunt, antequam accedant, aliquantulùm, digitis deinde manuum ſibi invicem per modum concamerationis implicatis brachia extendunt, & corporum inclinationibus repetitis, uter priùs cœpto itinere perrecturus, luctantur, quolibet alteri prærogativā tribuente; tantòque diuturnior eſt hæc humanitatis lucta, quantò à dignioribus diſputatur. Plebejus in dignitate conſtituto occurrens ſubſiſtit, magnoque ſilentio ac capitis dimiſſione donec alter tranſierit, expectat, metu tamen magis quàm venerationis adfectu: docet ſcilicet experientia minimam in eo negligentiam non leniùs quam verberibus expiari. *Loytiam* quemcumque conventurus, mox ut in cubiculum ad eum fuerit ingreſſus, genuflectit, inclinans caput ac oculos in terram demittens, atque ita in medium cubiculi prorepit, ubi humiliter cauſam verbis exponit, aut ſcripto tradit, accepto reſponſo genibus, ut venerat, flexis è cubiculo recedit, nunquàm obverſo ad *Loytiam* tergo.

3. In viſitationibus hos ſervant humanitatis ritus. Diuturna inter æquales pro humanitatis victoria lis

 eſt.

eſt. Viſitantē egredientem in plateam uſque viſitatus comitatur,conſuetudiñe inter mediocres uſitatiſſimâ. Hæc,quæ ſequitur,uti alijs nationibus ignota ita prorſus inſolens videtur. Hoſpiti foris ad viſendum amicum advenienti amicus ſeu in plateis obviam factus, ſeu ad portas domus animadvertens, ſi non eſt debitè veſtitus is ad quem venit, diſſimulatâ venientis,tametſi conſanguinitas proxima vel antiqua intercederet neceſſitudo, notitiâ, properè ad ædes ſuas recurrit,ſumptiſque celeriter optimis, quas habet, veſtibus redit ad hoſpitem,agitque cum eo velut ſi tunc primùm intellexiſſet eum in civitatem aut oppidum veniſſe: cui conſuetudini infallibilitatem antiquitas & quædam religionis opinio conciliârunt. Hoſpites non majori comitate, quàm ciborum, cupediorum, intritorum ac vini luxu recipiunt: pro vino volentibus aliud potionis per totum Regnum uſitatæ, quam ex medicis herbis ad cordis confortationem conficiunt, genus miniſtrant. Nec avariùs ſe vicini inviſunt. Si quis in ſuo oppido aut civitate peregrinum invenit ſibi notum, aut concivem aliquot diebus non viſum, mox an pranderit cænaveritve ſciſcitatur. Negantem abſque cunctatione in proximam inducit tabernam, reficique curat ſplendidiſſimè, idque non longâ morâ: nam uti fora, plateæ, & ſuburbia tabernis

nis abundant, ita ipſæ ciborum apparatu; neque magno ſumptu ob alimentorum copiam ac vile eorum pretium. Peregrinum verò ſe refectum aſſerentem ad aliud invitat tabernarum genus, in quibus omnes proſtant cupediorum formæ, in his delitijs non illiberalior, quàm fuiſſet in ſolidis alimentis.

4. Mulieres exteras juxtà ac indigenas cujuſcumque conditionis magno honore proſequuntur, maximè verò nuptas, quibus verbum aliquod inhoneſtum inſuſurraſſe, aut tranſeunti per plateas, quod accidit rariſſimè, locum non ceſſiſſe infame reputatur: quam venerationem ſuâ in publicis locis modeſtiâ meritò ſibi vendicaſſe videntur.

5. Exteris benigniſſimi ſunt Chinenſes, ut ſecundæ partis liber primus, quem ex ipſo experimento dictârunt PP. Auguſtiniani, prolixè docebit.

CAPUT XX.

Mulierum Chinenſium ſolitudo: tùm quibus conditionibus permittantur meretrices.

1. REgi Chinenſi ejuſque Concilio iſtud principaliter propoſitum, Regnum à vitijs ſervare immune. Saluberrimo fini conformia ſelegêre

media, optimas leges, ſeveras tranſgreſſoribus pœnas, & earum infallibilem inflictionem, quæ ſingulorum, ne caſtigari contingat, excitant vigilantiam. Nó ignari verò non majora in Rebuſpub. & Regnis mala quàm ex effræni fœminarum libidine timeri poſſe, & earum impudicitiâ concuti ſolidi Magiſtratus fundamenta, confringique arctiſſimum ſocietatis humanæ vinculum, ſanctiſsimis legibus ſiſtere pronam cupiditatem ſtuduerũt. Ac propterea in antiquiſſimo illo vaſtiſſimoque Imperio minora ab ea damna computantur, quàm in recentioribus anguſtioribuſque; ut totâ mox civitate etiam maximâ nomen ſciatur & cognomen fœminæ incontinentis, ſi quam eſſe nonnunquam contingat.

2. Magnum inter cætera inhoneſtatis repagulum eſt lex imperans filias ab incipiente rationis uſu educari in perpetua clauſura ſemper occupatas, ne ſocia ſibi vitia in illis ſeminandi tempus otium inveniat. Eadem lex nuptas complectitur, conſuetudine fortè quam legiſlatoris mente fortior; eam enim non tantum filiæ ac uxores Præfectorum Pro-regumque, ſed Regina ipſa atque Regia ſoboles ſervant, numquam non aliquid agentes aurum, ſericum, vel linum colo nendo, aut alio opere manuali diſtentæ: obtinuitque publica æſtimatio, ut pro vilibus reputẽtur o-

tioſæ.

tioſæ. Iſta verò filiarum ab incunabilis educatio & exempla matrum agendi ſtudiùm tranſmiſerunt in naturam, jam non niſi pro tormento otium toleratu-ram. Ex hac perpetua ſolitudine occupationeque pronum eſt arbitrari, quanta habeant mulieres Chinenſes adminicula caſtitatis. Aliquam alicujus conditionis ad feneſtram conſpicere inter miracula computatur. In plateis rariſſimæ ſunt & non niſi neceſſitatis, putà infirmitatis aut mortis parentum, compulſæ, ne tunc quidem aliorum conſpectui patentes. (a)

2. Solent Reſpub. ne marium libido quarumcumque matronarum & puellarum pudicitiæ inſidietur, lupanaria in civitatibus tolerare. Verùm hic quoque Chinenſium pro cæterarum honeſtate ſollicitudo modum ſtatuit, ne exemplorum proterviâ pudici animi propoſitum labefactaretur. Idcircò extra civitates illa in ſuburbia proſcripſit mortis comminatione, ſi quamdiu meretricium fœminæ exercent, extra domum illis deſignatam egrediantur, ingredique civitatis portas tentent. Et quia contemptui ſunt, non aliæ quàm infimæ conditionis ſe proſtituunt aut ſervæ, aut externæ, aut ab infantia emptitiæ; viduis enim egentibus crudeli licet conſuetudine ibi permiſſum eſt proles ſuas pro ſuſtentationis neceſſitate pre-

(a) *1. parte lib. 1. cap. 10. nu. 4.*

tio

tio tradere in perpetuam ſervitutem, ut ditiſſimi his mercimonijs mercatores inveniantur. Hi tenellas puellas ita emptas ſtudiosè in cantu, luſu inſtrumentorum, atque ad omne genus oblectamentorum inſtrui curant, maturas viris in obſcœnis domibus indecoro quæſtui dicaturi. Hanc porrò abominandæ dicationis formam ſervant. Dominus puellam Iudici, quem in ſingulis lupanaribus Rex ad ſcortorum cuſtodiam & compeſcendos, qui oriri poſſent, tumultus conſtituit, primo dicationis die ſiſtit, traditque, nullo ſibi jure reliquo, quam menſtruum tributum à Iudice, conſideratis emptionis, educationis, inſtructioniſque expenſis, ſtatutum exigendi. Gratioſæ cantu & luſibus mulieres veſtium cultu & ceruſsâ corporis augere pulchritudinem, relatu Chinenſium, impenſè ſtudent. Sunt in iiſdem ædibus cæcæ non paucæ, origine quidem liberæ, ſed voluptatem & quæſtum quæ ob naturæ inimicitiam legitimis nuptijs conſequi haud facilè poſſent, vulgato corpore quærentes. Illas comunt fucantque aliæ, vt plurimùm autem quæ detritâ in obſcænis voluptatibus juventute à virorum jam libidine negliguntur, ibi tamen finire vitam, ne egreſſæ conſuetudine impudentiæ alias corrumpant, coguntur. Quidquid ex quæſtu tributo Domini ſupereſt, Iudici conſignant, qui illud

illud in ſenectutis neceſſitates fideliter ſervat, redditâ annuatim Viſitatoribus ratione. Ita fit, ut cum ad ſenium devenerunt, vix ullæ egeant. Si verò egere aliquam in ſenectute quandoque contingat, vel ad componendas cæcas tributo ſtipendio à Iudicibus applicatur, vel in xenodochijs pauperum ſuſtentationi à Rege erectis (a) alitur.

3. Honeſtior maſculorum à matribus egentibus venditorum eſt conditio. Emptores opificio eos imbui curant, quo dominorum commodo ad præſcriptum tempus laborant, quo exacto, nō tantùm manumittere, ſed & procurare uxores, aſſignare & inſtruere ædes, ut lucrandi victum & alendæ familiæ initium ponant, publico mandato Domini jubentur, ac compelluntur per Iudicem reluctantes. Libertus autem quotannis primo anni die aliquotque alijs veterem Dominum in gratitudinis argumentum munuſculo honorat, plenam filijs libertatem transferens.

V CA.

(a) *l. 2. primæ partis cap. ultimo.*

CAPVT XXI.

Navium tam in mari quàm fluminibus, quæ multa ſunt & ingentia, forma: piſcium in totum annum præparatio.

1. NAvium marinarum iuxtà ac fluviatilium in China, quæ pro majori ſui parte mari alluitur ampliſque fluminibus per omnes ferè Provincias interſecatur, incredibilis eſt numerus, ut litora ac ripæ civitates videantur, puteturque æquali penè numero in aquis ac terra homines degere. Facilè eas exiguis fabricant expenſis, quòd lignis, ferro, aliaque ad fabricam earum neceſſariâ materiâ abundent, certo præſertim picis noſtrate præſtantioris genere quâ naves illinunt, & in petræ ſimilitudinem indurant. Quâ materiarum copiâ, & hominum frequentiâ terræ capacitatem ſuperante atque obvijs ubique navium architectis ingens ille navigiorum numerus excreſcit.

2. Navium porrò plures ſunt formæ, ſuis quoque nominibus diſtinctæ. Majores & ad longas navigationes factas *Iuncos* appellant, quas ſi ab initio bello deſtinant, proræ, puppique caſtella imponunt, in modum Luſitanorum quibus in Orientem decurritur: quarum

rum ea eſt frequentia, ut maris aliquis Præfectus dierum non ampliùs quatuor ſpatio ſexcentas cogere in unam claſſem poſſit. Ab his non diſcrepant onerariæ, niſi quòd proræ & puppis altitudine ſuperentur. Sunt aliæ minores noſtris fragatis non abſimiles (*Bancoens* ipſi vocant) quatuor utrimque remis, quorum ſinguli à ſex, nonnunquam quatuor hominibus impelluntur, inſtructæ, in locis vadoſis utiliſſimæ. Illas aliæ, *Lanteas* dictæ, latitudine excedunt, quas ſex ab utroque latere remi incitant, ſingulis remis ſex remiges incumbunt. Vtrumque hoc genus piratis, quibus maria illa ſcatent, familiare eſt, quia ſeu ad fugam ſeu ad pugnam, prout res popoſcerit levitate ſuâ commodiſſimum. Præcedentibus proximæ ſunt aliæ, longæ latæque, quibus ad veram triremis ſimilitudinem remi deſunt & calcaria: quibus ad tranſmittendas merces utuntur facile ſuâ levitate mobiles. Alia plurima navigiorum genera neceſsitas, utilitas, commoditas invenit, alia item delectatio Præfectorum, Proregumque, pictis porticibus & auratis feneſtris ornata. Rex in ſingulis Provincijs numeroſas claſſes Ducibus & militibus munitas non in regni duntaxat, ſed & negotiatorum contra piratas ſecuritatem ſuis ſumptibus paratas habet, nec minori providens fluminibus diligentiâ.

3. Picem, quâ naves illinunt ac *japez* nominant, ex calce conficiunt & oleo piſcium commixtis, quæ non modò navium ligna, ut diximus, indurat, ſed & vermibus, ne generentur, obſiſtit, ut una ibi navis duas noſtrates duratione excedat. Navium ſiphones ab Europæis compoſitione diſcreti, illos architecturæ induſtriâ & commoditate vincunt: Multis conſtant partibus velut ſitulis quibuſdam, quæ ad interiora navium latera conſtitutæ, rotæ per pedes ſedentis hominis & tanquam per gradus aſcendentis agitatione omnem maximæ navis aquam horæ quadrante hauriunt.

4. Invenies non paucos in navibus genitos & educatos, qui totâ vitâ nunquam in terram deſcenderint, nunquam alias quàm hæreditarias à parentibus exercuerint functiones: hæ ſunt, tranſvehere merces & homines tranſmittere. In navibus uxores ſobolem & familiam habent, in iiſdem velut in oppidis domicilium figunt; civitatum aut oppidorum haud indigi; alunt nempe in illis non modò, quæ neceſſitati, ſed & quæ voluptati ſufficiant animalia, ut gallinas, anates, columbas, ſimileſque aves; tabernæ item & officinæ copioſiſſimæ in ipſis navibus cuivis curioſitati pares & urbicarum æmulæ varias ſerici ſpecies, electrum, muſcum odoriferum, aliaque plura miniſtrant, lux-

luxui quàm indigentiæ faventiores. Et ne terreſtria ulla deſint oblectamenta, malos Aſſyrias (a) aliaſque fructiferas arbores breviores, hortulos item floribus & herbis conſitos ad navium latera aptè collocatos devehunt, in medio verò earum commodas piſcibus nutriendis & conſervandis cavitates, quibus ad quingentas non difficulter leucas vivos tranſportant, aquâ indies mutatâ, & injectis congruè alimentis. Quâ causâ, tùm etiam aquarum & piſcatorum multitudine fit, ut omnes mundi regiones piſcium copiâ China vincat.

5. Præcipuam menſes Februarius, Martius, Aprilis, creſcentibus fluminum aquis, intrantibuſque ſimul piſcibus, piſcationẽ tribuunt: natos ex projecto in aquis dulcibus ſemine piſciculos capiunt & in navalibus ſtagnis alunt piſcatores, a quibus emptos atque corbibus craſsâ chartâ oleo illitâ obductis in omnes regni partes lembis avehunt. Hos & pauperes ſibi cõparant, ac in ſtagna, quæ quælibet habent ædes, injectos brevi fimo bubalo, vaccino, aut columbino ad aptam culinæ promovent magnitudinem. His & civitatum replent foſſas, Præfectorum Iudicumque, quibus familiare eſt elaboratiſſimis ornatiſſimiſque ſcaphis fluvijs innatare, delectationi magis quàm

 quæ-

(a) *oranges.*

quæſtui, ſine quorum mandato nulli permiſſa eſt in foſſis piſcatio.

CAPVT XXII.

Induſtrius non magis quàm viſu iucundus educandorum magnâ copiâ anatum & piſcationis apud Chinenſes modus.

1. IN regno populoſiſſimo ac otioſorum inimico, limata neceſſitate ideoque ingenioſa paupertas, novas quotidie comparandi victum artes protrudit, ac quoniam terræ in qua ne pedis quidem magnitudo otiatur, capacitatem vincat multitudo populi, in flumina tranſtulit ſpeciem oppidorum navibus inſiſtentium, ubi quilibet, quod didicit & hæreditavit, opificium exercet, & mirabiles ad quæſtum artes, induſtriaſque: ex quibus has ſubjicio lectoris curioſitati.

2. Anates educant tantâ abundantiâ ut per totum regnum non exigua alimenti quotidiani ſit portio. Caveas ex arundinibus faciunt puppis magnitudini æquales, quæ commodè quatuor anatum capiant millia. Hi indies penè in nidis ad id in ipſa cavea præparatis ova enituntur: ova altor æſtate fimo bubalo aut ipſorum anatum, qui admodùm calet, ſup-

ponit

ponit tanto tempore, quod experientiæ magiſterio didicit ad pulli generationem eſſe neceſſarium & perfectæ incubationi æquivalere: tunc duobus in invicem illiſis tenellos pullos liberat eâ dexteritate, ut vix unus pereat, ac quæ inſcios, quales ob rem in regno uſitatiſſimam rari ſunt, excitet ad ſpectandum. Hyeme fimi calorem externis adminiculis augent. Inter illa unum eſt, longas arũdines inter ſe implexas extendunt, fimo ſternunt, ova ſuperaddunt, quæ rurſum fimo ſtudioſè contegunt, ſub arundinibus paleam aliamve facilem in flammas materiam incendunt, donec pullos modo ſupra-dicto excludant, excluſos in aliam mox caveam, in qua doctos ad congregandum ſub alis anates plurimos ſervant, transferunt & alimenta miniſtrant, donec adulti egredi cum alijs in paſcua poſſint, tunc, exiguis licet ſumptibus, non minori, quàm excluſerint, artificio paſcunt, viginti nonnunquam millia. Manè ſiquidem coctæ orizæ projiciunt aliquantulum, quod famen excitet magis quàm extinguat, & poſito ex arundinibus ponte, cujus una extremitas navi innitatur, altera ripæ, apertâque deinde portâ tanto impetu per pontem in ripam erumpunt, ut poſteriores priorum egreſſu non expectato in eorum dorſum incumbant, ſpectaculo non injucundo. Totam porrò diem in vicinis flumini agris

orizâ

oriza ſeminatis paſcuntur, &, quòd eos lolijs nullo orizæ detrimento, purgent, eorum educatori pretium pro paſtione agrorum Dominus perſolvit. Veſperi ad ſonitum tympani, tintinnabulive; qui à ſingulis navibus editur diverſus, ad caveam quique ſuam nullo errore revertuntur. Ita anates vilis eſſe pretij fecit & in familiares cibos copia tranſcripſit.

3. Educationi anatum quidam piſcationis modus induſtriâ non cedit. In ſingulis civitatibus; quas fluvij alluunt, Rex domos habet, in quibus corvos quos marinos nominat, numeroſè alit, qui illis, quibus piſces ova projiciunt, menſibus ad piſcationem adhibentur hoc modo. Corvos è caveis eductos ad fluminum ripas, ad quas multas in circulo ſcaphas aquâ ſemiplenas conſtituerunt, portant, illiſque longam ſub alis cordam annectentes, arctanteſque filo fauces, ne piſciculi in ſtomachum illabantur, projiciunt in aquas, in quas avidè ſe demergunt donec quidquid inter roſtrum & ſupremum ſtomachum interjacet, piſciculis impleverint, tunc eâdem celeritate emergentes in aquas ſcaphæ capturam evomunt, vacuo deinde gutture piſcationem quatuor horas ſæpè reiterantes, donec iuſtum piſcium numerum ſcapharum aquis infuderint, Tum liberatis filo faucibus eoſdem in aquas ad piſcationem ſuo ſervitu-

ram

rām alimento, quo ob pridianum, quod agere coacti fuerunt, jejunium egregiè indigent, remittunt. Ita tertio quoquo die per omnes menſes, quibus durat piſcatio, ad exercitium redeunt. Illo autem trimeſtri eam capiunt piſciculorũ abundantiam ut ſuo tempore integro ſufficiant, atque exiguo admodum pretio, Regno; ſuppetantque ſemper piſces recentes etiam à mari remotiſſimis.

CAPVT XXIII.

Humanitas Legatis Regum, Principum & Rerumpub. à Rege Chinæ exhiberi ſolita.

1. TRactaturus (a) Legationem quam Philippus II. Rex Catholicus ardentiſſimo ſuo in fidei Chriſtianæ augmentum zelo ad Chinæ Regem adornavit, diſtulitque poſteà, in faventiorem occaſionem, quæ brevi ſperatur adfutura, intentus; nihil extra propoſitum me arbitror facturum, ſi hîc generatim humanitatem honoremque, quem Chinæ Rex, Regum, Principum ac Rerumpub. Legatis exhibet, præmittam, ne rem oppidò curioſam lectoris ſubtraham deſiderio, & mutilem notabili parte politicæ Chinenſis notitiam.

(a) *cap. ſequenti.*

2. Quotquot à Regibus (inimicis nihil intereſt an amicis) legati terminos Regni Chinenſis ingrediuntur, Regibus ipſis, à quibus mittuntur, debitam venerationem accipiunt. Præter ſecuritatem ſiquidem ordinariam, quâ apud omnes prorſus mundi Reges potiri ſolent, ut jure gentium tributa cenſeatur, tùm quoque cùm ingrata aut damnoſa veniunt nuntiaturi, ſpeciales ibi honores conſequuntur. Per quãcumque Provinciam in Regnum Chinenſe intrantibus occurrit primi oppidi Præfectus cum omnibus, qui ibi ſunt *Loitys*, regijs miniſtris, Centurionibus, adventumque officioſiſſimâ humanitate & elaboratâ oratione apprecatur. Exſcenſuris è navibus quantumlibet exiguum viæ ad hoſpitium eſſet permeandum, non permittit terram pedibus contingere, ſed ſede eburneâ alteriuſve materiæ pretiosâ, à cujus lateribus holoſericæ vel damaſcenæ, vel aureæ telæ pro cortinis dependent, receptum octo hominum humeris in Regias ædes deferri curat. Sedes has ædeſque in ſimiles occaſiones in ſingulis civitatibus principalioribus Rex paratas habet, omni non ſupellectile tantum ſed ornatu inſtructiſſimas, & quæ pluribus Legatis uno tempore recipiendis ſufficerent, nullo ſingulorum incommodo. Ad has uſque ædes ſeu equo incedat, ſeu ſede, quod magis eſt uſitatum, feratur Legatus,

tus, eum dictus comitatus deducit, exhibitâque more Chinenſium humaniſſimâ veneratione recedit. Remanent ſoli ad obſequia Legati deputati, & mille aut biſ-mille ad ejus cuſtodiam milites non ante deſerturi quàm cùm finitâ legatione è Regno egredietur. Proximo verò die eum viſitat civitatis Præfectus benignoque diſcurſu, à quo Rege aut Principe, & quam ob cauſam Legatus venerit, eruere conatur: quorum omnium mox Provinciæ Pro-regem citato curſore certioré reddit; hic deinde Regem Regiumque Concilium. Legato etiam, ut ibi ſubſiſtat, Pro-rex nunciari jubet, aut miſſis literis fiducialibus ad ſe invitat, monito intereà Præfecto de præſtandis pro qualitate Regis ac etiam legati perſona obſequijs, attribuendo militum numero, alijſque rebus obſervandis adeò minutim, ut cibos indies Legato ejuſque aſſeclis dandos & per viam hoſpitia præſcribat. Literas fiduciales magno charactere tabulæ inſcribunt, expreſſo in illis Regis, à quo venit, nomine: tabulam hanc Legato, quòcumque vadat, unus aliquis præfert. Fiduciales autem literæ, quibus à regio Concilio ad aulam accedendi facultas datur in charta pergamena ad margines deaurata inſcriptæ regium ex auro ſigillũ dependens habent, honore ſolis Legatis, & cùm inſtituuntur, Pro-regibus reſervato. Itinerum omnium

ſumptus ærarij regij Præfecti ſolvunt: privati conviviorum & feſtivitatum ſtudio pro victoria, tranſeuntibus per eorum loca Legatis, certant. In regiam civitatem *Taibim* intraturis obviam procedunt nobiles omnes aulici, Auditores Concilij regij, ejuſque Præſes, qui Chinenſium relatione,pari penè cum Rege pompâ & comitatu graditur, nec niſi potentiſſimorum Regum Legatis latus dextrum concedit, alios in ſiniſtrum ordinat, atque omnes multa ſuper ſalute, patria, itinerum ſucceſſu per ſe aut interpretem rogitans, ad palatium, in quo hoſpitaturi ſunt Iudex deducit. Inde receſſurus Legato nomine Regis poteſtatem dat creandi certo numero *Loitias*, & captivos morti adjudicatos liberandi.

3. Adeò verò venerabile eſt Chinenſibus Legatorum munus, ut quodcumque illis cedat impunè delictum. Accidit ut Bartholomæus Luſitanus quidam ab Indiæ Orientalis Pro-rege nomine Emmanuelis Regis Portugalliæ miſſus cum ſocijs in Regnum Chinenſe à Legatis Regis Malacæ ad aulã Chinenſẽ proficiſcentibus apud Pro-regem Provinciæ *Canton* doli mali accuſaretur, & non Legatum veniſſe ſed exploratorem, obſervaturum munimenta regionis & civitatis, ac poſteà cum exercitu, quod in alijs Indiæ partibus Luſitani feciſſent, in illas irruiturum: ſe dicta

cta ſua probaturos: caperet proinde caſtigaretque falſos Legatos, veros exploratores. Pro-rex expenſo cum Concilio & *Loytijs* civitatis momento rei, captivos in arctiſſimos carceres deduxit, ſollicitè examinavit, & obſervatâ in nõnullis reſpondentium diſſentione, quam mortis metus Luſitanorum animis injecerat, ſecundum Regni leges capitis condemnavit. Sententiam Concilio regio probandam (a) miſit, illam accepto reſponſo executurus. Concilium non tantùm non Pro-regis ſententiam ſuo calculo firmavit, verùm quidquid adverſus eos niterentur Legati Malacenſes, qui ad aulam pervenerant, ſolvi juſſit liberoſque in Indiam unde venerant, dimitti, omnia item ad reditum neceſſaria miniſtrari: ſatis magnam impunitatis cauſam eſſe, quòd Legatorum titulo in Regnum intraſſent.

4. Ad propoſitum ut redeamus, Legatis poſt dies aliquot quieti & convivijs, quibus ab aulæ præcipuis excipiuntur, datos, Rex tempus alloquij præſtituit: nobiles omnes aulici atque ipſius etiam Concilij Præſes comitantur accedentes: Rex in una aularum, quas ſervari legatis diximus, (b) audit quot vicibus opus eſt ad negotiorum, ob quæ venerunt, determinationem. Quibus abſolutis, eâdem, quâ ingredientes ex-

(a) *hoc libro cap 8. nu. 4.* (b) *hoc lib. cap. 2. nu. 2.*

cepti ſunt, humanitate, muneribus ditati ad Reges ſuos dimittuntur.

5. Rerumpub. Chinenſium legatis multo inferior tribuitur honos. Intrantes ſiquidem in civitatem, in regias quidem ædes ac præbitis neceſſarijs, ſed ſolus deducit Prætor, qui cognitam adventus cauſam Concilij Præſidi, hic Regi defert; diem alloquij deſignat, monerique Legatum jubet ad aulam ut pedes veniat, aut vectus equo, quem non fræno, ſed cordâ regat in humilitatis & ſubjectionis teſtimonium. Acceſſurum ad Regem idem, qui obviam intranti proceſſit, Prætor deducit, ſervatâ rigoroſiſſimè quã Præſes præſcripſit, receptionis formâ. Cùm perventum eſt ad magnam, quæ ante palatium eſt, aream, ſubſiſtit legatus, donec à rituum magiſtro ſignûm approximandi dato locũ primæ venerationis demonſtret, inſtruatque de ſervando venerationis modo: Is eſt, ut genibus flexis ac junctis levatiſque manibus ad aulæ locum, in quo Regem eſſe ajunt, oculos defigat. Hanc adorationẽ quinies repetere jubetur: in primam deinde aulam aſcendit, ubi eum Præſes magnâ majeſtate expectat, auditque legationis cauſas, ad quas tunc quidem nihil reſpondet, verùm communicato cum Rege conſilio per Prætorem, quid fieri velint ſcire jubent.

CA-

CAPVT XXIV.

Legatio Regis Hiſpaniarum ad Chinæ Regem: ejus cauſa & dilatio.

1. Brevem magni Regni Chinenſis Hiſtoriam executus ſum ad brevitatis culpam quàm prolixitatis ſuſtinẽdam animo promptior, præcipuarum tamen rerum cognitioni non injurius. Præter hæc ſervo in ſcriptis plurima, aut quia nondum certa, à rebus & moribus noſtris prorſus aliena, & inſolentiâ ſuâ nondum apud exteras nationes fidem inventura, quam uſus & commercia ſequentibus ſæculis dabunt. Pro coronide libri legatio erit, quâ Philippus II. me convotoſque religioſos anno M. D. LXXX. ex regno Mexicano ad Chinenſe cum literis muneribuſque miſit, de qua, quod ſecretorum permittet fidelitas, dicam, quamquàm nullo fuerit adornata effectu, quem brevi à Divina benignitate & ſollicito Regis Philippi zelo ſperamus.

2. Hiſpani Inſularum Philippinarum (quas aliter Occidentales vocant) incolæ conſiderantes merces, quæ ex auro biſſinoque protioſiſſimæ ad portus ſuos ex China advehebantur diſtrahebanturque infra ſuam

ſuam æſtimationem longiſſimè, Chinenſibus mirabiliora de ſuo regno prædicantibus, deſiderium convertendæ ad fidem Catholicam gentis & percipiendæ ex negotiatione utilitatis totis medullis admiſerunt. Præfecti igitur præcipuique civitatis Manilenſis audito PP. Auguſtinianorum (qui in illis Inſulis primi Evangelium annunciarunt, baptizaruntque maximam indigenarum partem, multis præterea illuſtres heroicis factis, quæ referre ardet animus niſi eorum pars magna fuiſſem) conſilio ſtatuerunt graves dignaſque, quibus crederetur, perſonas ad Regem Catholicum deſtinare, quæ Chinæ notitiam in aulam Hiſpanam inferrent, momenta imò neceſſitatem amicitiæ cum Chinenſibus, ſi diu ſalvæ eſſe Inſulæ jam Regis Philippi nomen ſortitæ vellent, maximum deinde illius amicitiæ quæſtum edocerent, ſupplicarentque, dignaretur legatione ſuâ & muneribus Europæis æſtimationem ex locorum diſtantia & ignorantia rerum accepturis Chinæ Regem prævenire; his ſternendam ad doctrinam Chriſtianam utilitateſque multiplices viam. Supererat de ituris ad Regem Catholicum & longiſſimum iter emenſuris perſonis conſultatio, niſi mox de R. P. Didaco de Herrera in dictis Inſulis Auguſtiniani Ordinis Præfecto Provinciali conveniſſent. Præter doctrinam enim virtutemque ſingula-

rem

rem excellebat Inſularum Philippinarum, in quas cum primis conquiſitoribus intraverat, notitiâ, ut reputarent neminem feliciùs apud Philippum II. explicaturum legationis, quam deſiderabant, momenta, neminem diſtinctius de Inſularum rebus, moribus ac congrua regiminis forma diſſerturum. Importunas ad id Hiſpanorum preces P. Didacus admiſit, ſolvitque celeriter navi, quæ in novam Hiſpaniam vela facere geſtiebat, Anno M. D. LXXIII. à Præfecto cæteriſque omnibus, quibus eum ſanctitas benignitaſque venerabilem fecerant, ad portum uſque deductus, rogatuſque obnixè ut quàm breviſſimè rediret, cujus operâ tantoperè Inſulæ indigebant. Citum Didacus reditum ſpopondit ſedulas ab iis ad propitiandum cælum preces requirens. Navigationem orſus menſe Novembri anni ſupradicti ſecundis ventis in Novam Hiſpaniam ac civitatem Mexicanam appulit, rurſumque mare ſeptentrionale conſcendens pari proſperitate portum *S. Lucar de Barrameda* tenuit Idibus Auguſti (a) anni ſequentis me ſocium ducens. Proximo die Hiſpalim (b) pertigimus, continuatis inde itineribus XVII. Kalendas Octob. Anno M. D. LXXIV, (c) Mantuam Carpentanam, (d) ubi tunc Rex erat, pervenimus, quò eâdem hebdomade perditæ *Goletæ* nuntia fuerant allata. Benignè avidèque

(a) 13. *Auguſti.* (b) *Seville.* (c) 15. *Sepemb.* (d) *Madril.*

auditis gratias egit, quòd tam longâ profectione veniſſemus, ut rerum tam inſolitarum ac Religioni Chriſtianæ Regniſque Hiſpaniæ tàm utilium notitiam ab extremo Oriente in ultimum Occidentem inferremus. Alimenta, quanto nos tempore negotia detinerent, dari Rex juſſit: Indici Concilij Præſidem Ioannem de Obando, ut primis Auditorum conventibus, PP. Auguſtinianis auditis, ſeriò, quæ petebantur conſultarent expedirentque, monuit. Concilium cum Regis mandato, tùm rerum pondere motum intrà pauciſſimos dies de cunctis petitis reſolvit, longiori morâ ſoli legationi ad Chinæ Regem ſervatâ, donec occaſio fieret faventior.

3. Peractis ita Mantuæ Carpentanæ negotijs aſſumptis noſtri Ordinis Religioſis quadraginta, plurimiſque Regis literis, quæ novarum Provinciarum regimen concernebant, menſe Ianuario ſuccedentis anni M. D. LXXV. Mantuâ diſceſſimus Hiſpalim, ubi me per Regem ſubſiſtere juſſo, P. Didacus Provincialis Præfectus cum Religioſis ſui Ordinis quadraginta menſe Iunio proſperis ventis & fortunâ in Novam-Hiſpaniam delatus eſt: ubique mutato quidem mari (ex Septentrionali ſcilicet in Meridionale tranſivit) ſed conſtante priore proſperitate in conſpectum Inſularum pervectus, exortâ ſubitò tempeſtate in inſulam dejicitur ethnicis inhabitatam, qui

miſera-

miſeratione ob calamitatem dignos barbarâ crudelitate trucidârunt, ſolo Indo uno, quem ex Inſulis Philippinis in Hiſpaniam adduxeramus, cladi ſuperſtite, qui teſtis eſſet & nuntius feralis immanitatis. Nuntia hæc peracerba Hiſpanis Inſularum Philippinarum incolis acciderunt, non ob cædem tantùm graviſſimi ipſiſque chariſſimi viri P. Didaci de Herrera, quo non alius magis neceſſarius Inſulis pro fidê & Rege Catholicis æſtimabatur, & validam novorum Apoſtolorum turmam amiſſam, ſed ob literas etiam Regias, quas ab altero Orbe avidè præſtolabantur, deſtructas perditaſque, ut propterea abruptâ propinqui ſolatij ſpe vario mœrore velut incubantibus invicem undis omnium animi quaterentur. Rerum tamen momenta, ut preces apud Regem repeterent adjungerentq; novas, impulerunt. Quibus ad Regem perlatis, ille dictarum Inſularum Præfectum nominavit Gonſalvum de Mercado & Ronquillo virum nobilem, fortem, prudentem, & longis obſequijs regi in regnis Peruano & Mexicano præſtitis probatum. Hic cùm tot literis & rationibus urgeri legationem intellexiſſet, æſtimans ex inſtantia ſupplicum ejuſdem neceſſitatem, magnâ ſedulitate opus, tanquam jam Præfecturæ collatione ſuum apud Regem Indicumque Concilium promovere ſategit. Reſponſum, ipſe cum militibus illuc ordinatis ſine mora diſcederet: Lega-

tio, quia non adeò neceſſaria erat ut ex ea Inſularum ſalus penderet, & majoris ponderis quàm ut ſubitis conſilijs decerni poſſet, longiori deliberatione tractaretur, tunc Regem, quod Dei ſuoque ſervitio utile judicaretur, mandaturum. Ita Gonſalvus de Mercado profectus eſt. Nondum tamen ad Præfecturæ ſuæ locum devenerat, quando Philippinenſes, aucto ex dilatione tam longa obtinendi deſiderio, menſe Auguſto anni ſequentis iteratis rurſus literis, ut eas roborarent, R. P. Martini de Herrada PP. Auguſtinianorum Prioris-Provincialis ſociorumque de ſuo in Regnum Chinēſe ingreſſu, de rebus ibi viſis cognitiſque diarium, quod primum ſecundæ partis librum conſtituet, annexerunt. Quibus permotus Rex, Luſitanicâ licet expeditione diſtractus gravatuſque, legationem decrevit tot precibus ſollicitatam, tot votis expetitam, ut ex circumſtantia temporis cognoſcas Dei fuiſſe opus, Regis cor, quò voluerit, inflectentis. Nominandi Legatos poteſtatem Concilio fecit. Concilio præſidebat Antonius de Padilla & Meneſes. Hunc ut convenirem ſæpè ſæpiùs ob ſua negotia volebant amici Philippinenſes Mexicanique, à decimo ſeptimo enim ætatis meæ anno Mexici vixeram conſueveramque. Quâ occaſione multa à me Præſes de illis regnis fuerat ſciſcitatus, cognoveratque propenſum meum ad procurandam infidelium ſalutem &

præ-

præſtanda Regi obſequia animum, amplam item navigationum, terrarum & gentium in me notitiam. Idoneum itaque me judicavit, qui legationem pro Rege Catholico in Chinam obirem; cum Rege tamen in Luſitaniam feſtinans Præſes, literas ut expedirent, Auditoribus ejuſdem Concilij commiſit. Auditores tunc ſedebant Licentiatus *Gaſca* de Salaçar, Doctor Gomeſius de Santillana, Licentiatus Eſpadero, Licentiatus Didacus de Zuniga, Doctor Vayllo, Licentiatus Enao, Licentiatus Gedeon de Hinojoſa. Hi me Hiſpalim, ubi cuncta Regi Chinenſi deferēda parabantur, miſerunt. Parabantur autē plura quàm ut tēpore ſoluturę claſſis eſſe perfecta poſſent. Iſta Regē, qui Pace-Auguſta (a) Luſitaniæ invigilabat, Hiſpali monuit Gaſca de Salaçar vicariâ authoritate Concilij Præſes. Rex temporē claſſem ſtatuto ſolvere voluit, & me ſubſiſtere donec omnia perficerētur: tunc me triremi ſecuturū inventurumq; in Nova Hiſpania naves quæ inde quotannis ſub Natalitia Dominica in Philippinas vela faciunt. Multitudine tamen magnificentiâque munerum, quæ parabantur, & catharro totam Hiſpaniam pervadēte factum ut ad Quadrageſimam anni ſequentis fuerit profectio differenda. Tunc per Gaſcam regiæ mihi literæ traditæ & conſignata munera, quæ, quòd plurima fuerint atque hoc caput ſupra aliorum magnitudinem excreverit, non explico

(a) *Badaioz.*

particulatim: conjiciet tamen ea, ni fallar, prudens lector, Regis Catholici, qui mittebat, magnificentiam, & potentiam opulentiamque regis, ad quem mittebantur, in æſtimationem vocando. Literæ quoque prorſus dignæ erant, quæ à tali ad talem ſcriberentur, quas huc in publicam notiam non ingratis transferrem, ſi ſuum ſortitæ eſſent effectum, ejuſque, qui ſolus dare poteſt, facultas acceſſiſſet. Hanc ut petam, locus, in quo dego, non permittit; nec, ut ſine ea iſtas evulgem, conſentit debita Regiæ Majeſtati fidelitas. Sufficiet cognoſcere, non magis collimaſſe Regem Catholicum ad pacis fœdera cum Rege Chinæ ineunda, quam ut ethnicum ad veri Dei ſalvificæque Fidei notitiam & amorem provocaret, diſſipatâ ignorantiâ Numinis, quod cælum, terram, omneſque creaturas viſibiles inviſibileſque creàvit; quod credentes in ſe, ſuiſque præceptis in divinis libris contẽtis, & per miracula cõfirmatis obedientes, ſalvat glorificatque. Plura ad hoc propoſitum prædictæ literæ Regum Catholicorũ zelo digna graviter benignèque inculcabãt.

4. In Novam-Hiſpaniam ſeu Mexicanum Regnum ut appuli, erupiſſe, quam rex verebatur & de qua certior reddi à me diſſceſſuro ex Hiſpania ſeriò voluerat, difficultatem cognovi. Itaque Pro-regi Comiti de Coruña viſum, ut ad regem Catholicum (is tunc Vliſippone (a) erat) feſtinatâ profectione redi-

(a) *Liſboa.*

rem

rem narraturus, quæ præcipuorum regni Mexicani, quos Pro-rex in conventum vocaverat, opinione incommoda legationem comitabantur. Horum conſilijs relictis in poteſtate regiorum Miniſtrorum muneribus donec aliud de ijs decerneretur, in Hiſpaniam revectus Regem Vliſippone conveni, Pro-regis & inſtituti ab eo conuentus ſententias aperui. Regem hæ moverunt ut legationem differret; non fregerunt ut conceptum planè propoſitum abrumperet in omnem ejus occaſionem ſollicito animo intentus. Vt ſperem brevi nos viſuros ejus curâ & divinâ benignitate in dicto Regno fidem Catholicam, conculcatâ idololatriâ, florentem. Sunt in illo laborantque Auguſtiniani, Franciſcani obſervantes, Religioſi Societatis Ieſu, quos Patres ſancti Pauli appellant. Ex his quinque aut ſex in civitate *Xauquin*, quæ Pro-regis aulam habet, ſedem ab anno octuageſimo tertio fixerunt; ſacellum erexerunt, ſacra celebrant, ferunturq; dicti Proregis facultate liberè totum Regnũ permeare. Quod ſi verum eſt, Regiâ proculdubio auctoritate, ſine qua nihil auſuros Pro-reges non ſemel diximus, factum eſt. Nunc illuc ex Hiſpania Regis Catholici & Indici Concilij juſſu Dominicani cogitant, opem præcedentibus in immenſa meſſe laturi, quam proculdubio uberem conſequentur, ſi omnes mutuâ charitate adunati, velut ejuſdem Domini ſervi & in idem propoſitum

tum intenti, diviſis Regni partibus conciliare indigenarum voluntates conentur, quas ideo non difficulter ſuperabunt, quòd plurimis evidentibuſque indicijs ſuam ad ſalutem propenſionem teſtentur. Hæc, ut illi ajunt, inde nata eſt, quòd in ſuis libris legerint ab Occidente perventuram ad illos veram legem, quâ in cælum conſcendant fiantque Angeli. Cùm igitur regiones, ex quibus ad illos dicti Religioſi allabantur, in vero computent Occidente, non dubitant prædicatam ab illis doctrinam, eam eſſe, quâ tantum bonum promiſſum conſequantur.

5. Præceptorum decalogi decorum ingenioſam gentem ad fidem Catholicam plurimum excitavit: placuit Cathechiſmus ipſorum linguâ editus & per multorum manus vulgatus, qui, ut Patres Societatis è civitate *Xauquin* ſcribunt, multos ex principalioribus convertit: horum rurſum exemplum alios animavit, qui non exiguo numero baptiſmum petunt. Deus ad majorem Nominis ſui gloriam & exaltationem fidei Catholicæ infinitâ ſuâ miſericordiâ cœptis faveat, & populoſiſſimi Regni animabus prodeſſe faciat ſanguinis pretioſi lytrum à Christo Æterno Patri perſolutum, Regis quoque Catholici animum confortet, ut, quod cœpit, invictè proſequatur, obſtaculaque, quæ modis omnibus objicere dæmon tentabit, perrumpat.

Finis primæ Partis Hiſtoriæ Chinenſis.

HISTORIÆ
MAGNI REGNI
CHINENSIS
PARS II.

DIviditur hæc ſecunda pars in duos libros: nam adjunctum ei itinerarium conſultò omittimus.

Primus liber ordinatè exhibet quidquid R.P. Martinus de Herrada Prior-Provincialis Ordinis Eremitarum S.P. Auguſtini in Inſulis Philippinis, ejuſque ſocius P. Hieronimus Marin, ac duo, qui cum illis profecti ſunt milites viderunt audieruntque in magno Chinæ Regno notatu & ſcitu dignum.

Secundus miraculoſum in idem Regnum iter R. P. Petri de Alfaro in Inſularum Philippinarum Cuſtodis, ſociorumque.

ARGVMENTVM

TRactat quâ occaſione quoque modo RR. PP. Martinus de Herrada & Hieronimus Martin ſocijque milites ex Inſulis Philippinis anno 1577. in Chinenſe Regnum penetrârunt: quid menſium quatuor ſexdecimque dierum, quos in dicto Regno peregerunt, ſpatio, viderint intellexerintque, tùm quæcumque illis uſque ad exitum eorum è Regno acciderunt, admiranda æquè ac curioſa.

CAPVT I.

Mexico in inſulas Philippinas tranſeunt Hiſpani, ibique magni Chinenſis Regni notitiam accipiunt.

1. LVdoviſio de Velaſco Mexicani Regni Pro-regi magnam in mari Pacifico claſſem inſtruere armareque milite neceſſario imperavit Philippus II. Hiſpaniarum Rex, quâ Inſulas Occidentis, quarum notitiam celebris totius mundi circumnavigatione, navi, quæ *Victoria* dicebatur, Ferdinandus Magellanus induxerat, luſtraret. Paratam magnâ diligentiâ immodiciſque ſumptibus claſſem anno M. D. LXIV. è portu Nativitatis ſolvere juſſit, Michaele Lopez de Legaſpi illi præfecto, qui etiam Inſulas Continentemque, quæ in poteſtatem redigerentur, adminiſtraret, & qui in Inſulis Philippinis uno, antequam P. Martinus de Herrada ſocijque in Chinam intrarent, anno in vivis eſſe deſierat. Dicta itaque claſſis Philippinas detexit, in earum aliquas, maximèque Manilam quingentas ſuo ambitu leucas complectentem, Hiſpaniarum co-

lonias deduxit, nomine *Luçon* ſive etiam *Malina* indito præcipuæ civitati, quæ poſteà & Pro regis curia, & ſedes Epiſcopi, erectâ Eccleſiâ Cathedrali, effecta, primum habuit ex illuſtri Dominicanorum Ordine Antiſtitem Dominicum de Salazar, vitæ ſanctitate & ſcientiâ commendabilem, cui infulam dari Mantua Carpetorum (a) vidit anno M.D.LXIX. Tria item Religioſorum erecta monaſteria, primum PP. Auguſtinianorum, qui in illam petente Rege Legem Evangelicam ſuâ prædicatione multis laboribus nonnulli etiam vitæ prodigalitate, ſed ubere fructu primi omnium intulerunt. Secundum Franciſcanorum Diſcalceatorum Provinciæ S. Ioſephi. Tertium Dominicanorum, qui omnes optimo exemplo zeloque plurimum infidelibus profuerunt. Poſteà etiam Patres Societatis Ieſu acceſſerunt, magnas prçcedentibus ſuppetias allaturi.

2. Delati in dictas Inſulas Philippinas Hiſpani relatu non ſolùm incolarum, ſed mercatorum etiam Chinenſium raras illuc plurimaſque merces navibus advehentium ediſcunt ſpecialius regni illius magnitudinem, divitias, & miranda quæ tribus primæ partis libris hæc hiſtoria eſt complexa. His rebus, particùlariterque Chinenſium præ vicinis omnibus in ingenio politiciſque legibus excellentiâ, cognitis, Au-

g uſtinian

guſtiniani (qui etiamdùm ſoli ibi erant) præſertimque eorum Prior-Provincialis P. Martinus de Herrada magni non minùs animi quàm omnigenæ ſcientiæ vir, ingenti mox deſiderio ad prædicandum Euangelium genti tam ad recipiendum capaci exarſerunt. In quem finem primum addiſcendæ peregrinæ linguæ ipſis ſtudium fuit, quam brevi tempore eâ perfectione aſſecutus eſt Provincialis ut Rudimenta illius linguæ Dictionariumque ad commodum cæterorum concinnaverit. Egregijs inſuper benevolentiæ teſtimonijs muneribuſque evincere mercatores Chinenſes, ut ſuis eos navigijs in illas terras inveherent, conati ſunt, oblatâ etiam ſeipſos in mancipia dictis mercatoribus tradendi conditione. Verùm inanis omnis diligentia & zelus fuit, donec opportunius divina Voluntas medium naſci juſſit capite ſequenti narrandum.

CAPVT II.

Limahon Chinenſis Regni pirata auctus potentiâ viribuſque in mari Vintoquiam ejuſdem Regni piratam vincit.

1. HIſpanorum colonia Manilæ inſtituta non tantùm internâ pace quieta, ſed & ab exter-

ni

ni belli periculis libera, Chinenſibus, quos ſolos formidare potuiſſent, lege patriâ prohibitis extra Regni fines arma inferre (a) vivebat, læta præterea magnæ opulentiæ ſpe ex frequenti cum Chinenſibus commercio, quando in eam *Limahon* pirata claſſe non contemnendâ illapſus eſt. Et ſolet non infrequenter Chinæ imperium iſtius farinæ hominibus infeſtari, iſti agitationi non minus ab incredibili indigenarum numero, quàm ob rigidam, quâ ſubditi Chinenſes tractantur, tyrannidem obnoxium. Oriundus erat *Limahon* ex civitate *Trucheo* Provinciæ de *Cuytan* (quam *Catim* Luſitani vocant) parentibus mediocris fortunæ, qui puerum naturâ ferocem & ad pugnas pronum, peſſimâ in vitijs & licentia educatione effrenatiſſimum reddiderunt. Diſciplinæ omnis honeſtæque occupationis oſor, itinera prædationibus infeſta reddebat, eo proventu ut multi ejus exemplo pellecti in ſocietatem venirent. Bis mille brevi fuiſſe dicuntur, quorum ipſe dux factus toti Provinciæ timorem incuſſit.

2. Horum certior Rex factus Pro-regem Provinciæ in qua *Limahon* vagabatur, celeriter præſidia jũgere & inſtruere exercitum contra piratam juſſit, eumque aut captivum trahere in civitatem *Taybin*, aut præciſum caput ferre. Nec minori feſtinatione, quàm Rex

(a) *prima parte.*

Rex mandaverat, Pro-rex eſt executus. *Limahon* Proregis potentiam veritus, imparemque ſe tantis viribus meritò æſtimans, ut certum proximumque periculum declinaret, portum aliquot inde miliaribus abjectum poſitaſque in eo naves, civibus nautiſque nihil tale formidantibus occupavit. Socios in naves diſtribuit, atque à litore in altum mare deducere juſſit, ſecuriùs ibi rebus ſuis conſulturus, aucturuſque novis in mari prædationibus potentiam. Nulli igitur navigio ſive Chinenſi ſive peregrino parcitum fuit, pagi omnes & municipia maritima vaſtata. Temeritas impietaſque ſucceſſu fulta brevi quadraginta ei naves ſubjecit, cumque ſociorum ſui ſimilium numerum, qui ad dictas naves armandas ſufficeret. Potentiâ inſolentior factus, majoraque indies animo projectans, vicina omnia litora rapinâ & cædibus eſt depopulatus, remota autem fama ſuæ crudelitatis terrefecit. Accidit inter hæc ut in alterius pyratæ Chinenſis, *Vintoquiam* nomine, claſſem incideret. Illa ſexaginta navium erat. Verùm *Limahon* animum reputās numero præſtantiorem imperterritè cum illa cōmiſit, vicitque, quinquaginta navibus in poteſtatem redactis, compulſoque in fugam *Vintoquiam* cum cæteris quinque. Hac victoriâ claſſem nonaginta navibus complevit: ſocios jam potius milites ſuos numeroſiores reddidit, qui cum

ſceleratiſſimi eſſent, mortique, ſi caperentur, certæ obnoxij, ex veniæ deſperatione & eorum audaciam & ſuam æſtimavit ſecuritatem, ideoque omni formidine excuſſâ aſſuetum ſceleribus animum ad majora roboravit, magnarum etiam civitatum non tantùm ſpolijs, ſed vaſtitati & ruinis intentus.

CAPUT III.

Claſſis contrà Limahon in China paratur: ipſe in Touzuacaotican declinat, ibique rerum, quæ in Inſulis Philippinis geruntur, certior redditur.

1. QVotidie apud Regem ejuſque ſecretiorem Senatum querelæ Chinenſium malè per *Limahon* habitorum de ejus ſævitia multiplicabantur, ut iterato ſeverè mandato Provinciæ, cui viciniſſimus erat pyrata, Pro-regem maturare exercitum juſſerit potentem ad opprimendas tyranni vires. Pro-rex paucorum dierum ſpatio centum triginta naves armis, commeatu, & quadraginta militum millibus inſtruxit. Omnibus *Omonconem* (a) præfecit addito rigidè præcepto, ut piratam aut caperet, aut mactaret, neglecto omni navium ſuarum militumque diſcrimine. Nec latebat *Limahonem* ſecretis amicorum literis edoctum ſerium Pro-regis mandatum, adeoque ſuum peri-

(a) *Omoncon.*

periculum in tanta claſſis inæqualitate non ignorabat. Quapropter non expectato *Omonconis* adventu, deſertis, quæ frequentaverat litoribus & mari in Inſulam *Touzuacaotican* miliaribus quadraginta à continente ſejunctam ignotamque, eodem tramite quo ad Philippinas tendendum eſſet, ſeceſſit, metu claſſis Regiæ non auſus ultrà in continentem irrumpere, contentuſque navibus nonnunquam paucis claſſem Regiam explorare potiùs quàm tentare, contrà quam nihil eſſet profecturus, uti continuâ ſuorum fugâ certiùs docebatur. Mercatorijs autem navibus plenè erat infeſtus. Inter cæteras autem in poteſtatem redegit duas Chinenſium mercatorum quæ Manilâ in Chinam ſolverant, quas cùm exploraret, divites reperit raris atque ex auro factis operibus, nummis Hiſpanicis, &c. quæ in commutatione mercium ſuarum Manilæ acceperant. A captis particulatim de terræ qualitate fertilitateque, de Hiſpanis habitatoribus ſciſcitatus, didicit multis eas rebus luxuriare, & Hiſpanos non eſſe plures ſeptuaginta, reliquis novarum inſularum detectione intentis diſperſiſque; illos autem qui remanſerant, Hiſpanos eſſe ſine ulla hoſtis formidine quietos, ac ob id ad bella imparatos, tormenta bellica fulcris disjecta, nec poſſe dominos defendere nec offendere inimicos. Auditis captivis ſpem

concepit potiundæ non magno periculo Manilæ vicinarumque inſularum, in quibus ſuſtentare exercitum poſſet metu claſſis Regiæ ſolutum ob nimiam earum à continente diſtantiam.

CAPVT IV.

Limahon Inſulas Philippinas invadit pervenitque ad civitatem Manilam.

QVæ conceperat effecturus, præcipuum ſuæ ſpei obſtaculum Hiſpanos cruentâ cæde removere ſtatuit, ac levatis *Touzuacaotican* anchoris, inſulas *Illocos* prætervehitur, non procul à civitate quam non ita diu Ioannes de Salzedo fundaverat appellaveratque Fernandinam. Quatuor ab hac miliaribus exiguam triremem à Ioanne de Salzedo Fernandinæ Præfecto pro commeatu ſolis viginti quinque militibus eam defendentibus miſſam adoritur redigitque nullâ difficultate in poteſtatem, militibus omnibus, nautis, remigibuſque ad unum uſque trucidatis. Proſequenſque conceptam navigationem à Fernandinæ incolis detegitur annuntiaturque Præfecto non exiguâ omnium obinſuetum in illis litoribus tantæ claſſis conſpectum admiratione ſollicitudineque. Reputans autem

tem Præfectus tam ingentem claſſem vela Manilam facientem nihil illi proſperi allaturam, quæ non ob ſecuritatem minus quàm exiguum militum ibi degentium numerum erat non-laborioſæ injuriæ obnoxia, decrevit junctis celeriter quotquot poſſet Hiſpanis, qui fuerunt omninò quinquaginta quatuor, contemptoque proprio labore & periculo, dictæ claſſi præcurrere, propinquantis claſſis indicium dare & adferre operarum militumque ſuppetias. Quæ Præfecti celeritas civitati omnibuſque inhabitantibus ſaluti fuit (a) licet non omne prorſus averterit damnum. Nam factum temporis anguſtiâ ut & naves exiguæ, pauci eique inſueti remiges, tenuis & qui continuâ in terram excurſione reparandus erat commeatus, ſumerentur, adeòque & ſuâ voluntate & præſenti neceſſitate tardiùs ad inſulam appelleret. *Limahon* quippe res neceſſarias abundanter ſuâ claſſe vehens, ideòque neque deflectere in terram, neque ventos negligere coactus rectâ navigatione Præfectum prævenit ad finitima Manilæ pridie S. Andreæ anno M. D. LXXIV. Ac æſtimans præcipuam ſuam ex feſtinatione felicitatem, utendumque noctis obſcuritate ratus, ſelectos ex omnibus quadringentos milites lembis impoſitos in terram exſcendere & invadere civitatem Manilam, antequam illuceſceret imparatam

(a) *Cap. 6.*

tam, illi ignem injicere trucidatis civibus juſſit, ipſe ſummo mane cum reliquis copijs ſuppetias, ſi neceſſe eſſet, laturus adeſſet. Verum vigilabat, pro ſecuris Manilenſibus Deus, ſine cujus nutu ne arborum quidem folia decidunt, totaque illâ nocte contrarius ac à terra immiſſus paulatimque impetuoſior ventus contrà quadringentorum labores induſtriaſque omnes pugnavit, prohibuitque ne litus concepto tempore capeſſerent, ſine quo humanitus nihil poterat occurrere quod civitatem ab extrema deſolatione, cives à cruenta cæde exemiſſet.

CAPVT V.

Quadringentis militibus à Limahone ad comburendam Manilam præmiſſis ab Hiſpanis reſiſtitur.

CHinenſes quadringenti totâ nocte cum ventis luctati ipsâ S. Andreæ feſtivitate hora matutinâ octavâ ad litus lembos adducunt uno à civitate miliari remotum, religatiſque ibi navibus velut aciem inſtruunt præcedentibus ſclopetarijs ducentis, lancearijs pari numero ſequentibus. Inſolitum & inexpectatum numerum Manilenſes aliqui in planitie ſiti detexerunt, & properè ad arma conclamantes indicium propin-

propinqui hoſtis magnis vocibus dederunt. Verùm ne vera nuntiantibus crederetur ſecuritas faciebat, quæ pro hoſtibus aut indigenarum jocum aut excitatum ex compoſito tumultum infortunatis mentibus ſuggerebat. Nec priùs fides habita quàm cùm Martini *Goyti* Magiſtri-campi, quæ illac ingredientibus primæ occurrebant, ædes arderent, ipſo Martino omnibuſque domeſticis cæſis: ſola uxor multis vulneribus, ex quibus mortua credebatur, læſa vitam ſervavit. Tandem at ſerò flammis rutilantibus creditum, ſubitaque trepidatione nonnulli Hiſpani nullo ordine nulloque judicio, ut in ſimilibus caſibus fieri ſolet, irruentibus Chinenſibus occurrentes prorſus deleti ſunt. Cæteri prudentiùs confecto globo Hiſpanos ſe meminerunt, tantiſquis animis, impetu & ordine Chinenſes jam victoriam canentes exceperunt, ut pauci multos aliquali eorum, nullo ſuorum damno repulerint, à multis tunc fortiter factis laudandi. Regreſſi ad naves Chinenſes illis conſcenſis ad claſſem properant *Limahoni* Duci & ventorum contrarietatem & cætera à ſe facta expoſituri. Auditos benignè, actis pro impenſa ſedulò opera gratijs, conſolatus eſt, promiſitque brevi, quod tempus impediviſſet, ſe viribus conſecuturum, & obversâ ad portum *Cabite* prorâ illum petere juſſit, claſſe ejus ad duo miliaria Manilenſibus conſpicuâ.

CA-

CAPVT VI.

Munit ſe contra tam propinquum Chinenſium inſultum Manilæ Præfectus, repellitque: Limahon terras, quæ fluvio Pangaſinan irrigantur, in receſſu occupat.

INſulas iſtas tunc Guido de Labacares, qui defuncto Michaëli *Lopez* de Legaſpi Regijs literis ſucceſſerat, Præfectus adminiſtrabat. Hic conſideratâ hoſtium ex improviſo allapſorum multitudine & exiguis Manilæ munimentis, habito ſubitò Centurionum conventu, cùm deſerere oppidum ac fugere ſalvo Hiſpanorum nomine & partâ apud illas nationes æſtimatione, quâ ſolâ pauci ſervabantur, non poſſent, ſtatuit tumultuarijs operibus munire. Diebus totidemque noctibus nullâ perſonarum aut conditionis exemptione impigrè laboratum fuit inſuperata laborum, quibus facultatibus, parentibus, filijs, uxoribus ipſi denique vitæ aſyla parabantur, conſtantiâ, quâ tam exiguo ſpatio ſeps lignea firmata, vallum ex vaſibus arenâ plenis erectum, diſpoſita in fulcris torméta bellica, quæ quatuor dūxtaxat in civitate inveniebantur, Hiſpani omnes vocati intra munimentum, quod credi poteſt non magis humanâ diligentiâ,

tiâ quàm divinâ perfectum Providentiâ, quæ nolebat tot animas recenti baptiſmo ablutas ſignataſque lumine agnitionis ſanctiſſimæ fidei ad duriſſimam dæmonum ſervitutem, ex qua infinita ejus miſericordia illos eruerat, redire, aut perire occaſionem, quâ de facili eadem lux Euangelica maximo Chinæ regno poſſet inferri. Nec minùs Supremi Numinis opus æſtimatum fuit, quòd nocte inſultum hoſtium præcedente cum illis, quos diximus, militibus advenerit Ioannes de Salzedo Fernandinæ Præfectus, (a) quorum adventu non magis Hiſpanorum numerus, quàm virtus aucta fuit, quam continuati labores imminuerant, turbaveratque timor ex enormi hoſtis vicini, cujus crudelitatem experientes diſcerecœperant, inæqualitate. Reſumptis per ſuppetias animis certi jam erant reſiſtere hoſti, qui ſecundo poſt primam repulſam die in terram ſe exponebat, ſexcentis mandato Ducis *Limahonis* præcedere juſſis, qui mox in civitatem irruentes, nullo repugnante, Hiſpanis ſcilicet omnibus intra munimentum coactis, eam combuſſerunt. A conflagrante civitate ipſi deterioribus intùs flammis accenſi ad munimentum convertuntur fiduciâ illud citò ob Hiſpanorum, ut arbitrabantur, contemptibilem paucitatem occupandi. Audaciam primi ſuâ cæde luerunt, cum reliquis totâ die acriter pugnatum

(a) *Cap.* 4

 gnatum

gnatum, deſideratis hoſtium, præter ſaucios plurimos, ducentis, Hiſpanorum non ampliùs duobus, Sancio Ortiz Vexillifero & Franciſco de Leon ejuſdem civitatis Manilenſis Prætore. Vtriuſque repulſæ qualitatem expendens *Limahon*, ut erat acri vafroque ingenio, reputanſque non cum alijs, quos hactenus expertus erat, ſed cum Hiſpanis ignotâ fortique gente pugnari, deſperatâ, quam conceperat victoriâ, ſatiùs judicavit militem in navigijs colligere, repetereque, unde ſolverat, portum *Cabite*, ubi duos dies cæſorum, quorum cadavera in claſſem ſtudioſè inferri curaverat, tribuit ſepulturæ. Quibus exactis eodem, quo Manilam venerat, tramite revertitur, donec ad ingentem fluvium nomine *Pangaſinan* quadraginta à civitate miliaribus abeuntem perveniſſet. Ratus ibi terram eſſe bonam locumque opportunum, quo ſe contra Chinenſem claſſem à Rege miſſam tueretur, aut ab ea ſe occultaret, eum exiguo admodùm labore in poteſtatem redegit, excitatoque in fluminis ripa, uno ab oſtio miliari, munimento, illius ſe Dominum vocari voluit indigenaſque tributis vexavit, vagatuſque per mare quaſcumque potuit naves cœpit, conatus etiam falſo cæſorum à ſe aut in fugam conjectorum Hiſpanorum ac ſubjugatarum Philippinarum rumore venerationem ſibi conciliare, & vicinis

nis injicere pavorem. Pagi certè, quotquot fluvius *Pangaſinan* alluit, eum & Dominum ſuum agnoverunt, & ut tali tributa ſolverunt.

CAPVT VII.

Ioannes de Salzedo Mariſchallus adverſus Limahonem tendit, incendit ejus claſſem, eumque tribus menſibus obſidet in fortalitio, ex quo Limahon mirâ induſtriâ evaſit.

NVntio tàm falſi rumoris Manilam allato, Præfectus alijque Hiſpani non-oſcitanter expendentes damnum inde ſibi irreparabile, niſi citò obviaretur, enaſci poſſe, amicos ſubditoſque in dictis Inſulis illo poſſe excitari ad ſeditionem, &, quòd incomparabili numero excederent, mactare nullo negotio Hiſpanos, qui hactenus nullâ re quietiùs vixerant quàm quòd invincibiles crederentur, unanimi conſenſu ſtatuerunt maximis, quas colligere poſſent, viribus apparatuque perſequi piratam, quem quia ſciebant non auſurum ſe Chinenſi mari aut litoribus credere, conjicere facilè poterant non longè abeſſe, & adverſus quem eâdem ſecuritatis occaſione, quâ ille uſus ſe adorſus fuerat, pugnare ſibi poſſe videbantur. Et quamquam non planè eum delerent, vindicarent certè injurias acceptas, falſum rumorem ex-

ſtinguerent, antiquam fortitudinis famã augerent, ſtabilirẽtque cum Chinæ Rege, quẽ maximè *Limahon* offẽderat, amicitiam, ac per hæc omnia priſtinam ſuam quietem revocarent. Intereà verò dum neceſſaria ad expeditionem maximâ celeritate parantur, nuntiatur *Limahon* ad fluvium *Pangaſinan* ſedes fixiſſe, quod, quia non longè quærendus eſſet hoſtis, cùm plurimùm Hiſpanis placeret, majori etiam quàm antè celeritate omnia urgebant, Præfectus omnes, qui in Provincia erant, Hiſpanos Manilæ adeſſe jubet. Commendatarijs pagorumque in inſulis, quas Pintados vocant, Dominis ut naves viroſque ſeu Hiſpanos ſeu indigenas miniſtrent, imperat, grato omnibus mandato, præcipuè verò dictarum inſularum habitatoribus, qui promptiſſimâ voluntate adfuerunt. Præfectus eos ſolos Manilæ detinuit, qui ad civitatis fortalitijque defenſionem neceſſarij videbantur, reliquos omnes Ioanni de Salzedo à ſe in locum Martini de *Goyti* in prima Chinenſium irruptione cæſi (a) ſubrogato attribuit. Hiſpani ducenti quinquaginta, bis mille & quingenti amici computabantur, omnes aut vindicare acceptas injurias, aut in conatu occumbere parati. Immiſſi omnes exiguis navibus, nam majores trirememque indigenæ, qui anteà metu potentiæ Hiſpanicæ pacatè jugum toleraverant, ad adventum *Limahonis*

(a) *Cap.* 5.

bonis inſolentes facti incenderant, & novas fabricare anguſtia temporis non patiebatur. Solvit autem Manilâ Mariſcallus Ioannes de Salzedo die Martij vigeſimo tertio anni M. D. LXXV. & feriâ quarta hebdomadis Sanctæ in aurora appulit ad fluvij *Pangaſinan* oſtium, nulli, quod ſummâ diligentiâ curaverat, viſus. Expoſitis in terram militibus quatuorque exiguis tormentis bellicis fluminis oſtium, diſpoſitis aptè & concatenatis navigijs clauſit, poteſtate omnibus ereptâ aut exeundi aut intrandi, ne nuntia ſui adventus *Limahoni* deferrentur. Miſit deinde qui ejus exercitum, eâ tamen cautelâ, ne percipi poſſent, explorarent. Invenerunt porrò *Limahonem* tanquam procul omni periculo ſecurum, velut ipſe Manilenſes repererat dùm primo illos impetu adoriebatur. Cauſæ ſecuritatis, ne culpæ cuſtodiarum neglectus tribuatur, erant, quòd certis nuntijs didiciſſet decretam adverſus eum in China claſſem tardiùs inſtruendam; quòd inſtructa ignorantiâ loci in quo morabatur, aliò deflecteret; quòd Philippinarum Inſularum Hiſpanis nec animum ſupereſſe crederet nec vires, quorum navigia civitatemque ſui incenderant & cædibus debilitârant, reputaretque propterea non tam ulciſcendarum injuriarum quàm reparandi damni ac ſuæ defenſionis curam ſupereſſe. Mariſcal-

lus tàm de ſecuritate hoſtis quàm de viarum compendijs latebriſque edoctus terreſtri itinere feſtinantiſſimè Gabrielem de Ribera pergere, & tumultu, quàm poſſet, maximo invadere inimicum juſſit; Petrum de Chaves verò & Laurentium Chacon Centuriones, attributis unicuique militibus quadraginta, lembis fluvium ſcandere, tàm præcisâ temporis pro omnibus dimenſione, ut eodem momento undique munimentum adorirentur; ipſe cum reliquis copijs eodem loco ſubſtitit, occaſioni intentus, quâ opportuniſſimè ſuppetias ferret. Prudens Mariſcalli imperium feliciùs omnes ſunt executi, nam eodem tempore & in flumine integram incenderunt claſſem, & in terra ſepem ligneam à *Limahone* pro caſtrorum fortalitijque defenſione fixam, Chinenſibus ampliùs centum cæſis, & mulieribus ſeptuaginta in captivitatem abductis. *Limahon* ad inopinatum ingentemque tumultum in fortalitium pervolavit vitæ quærens in eo aſylum, quod adverſus integrum Chinenſium exercitum excitaverat. Nonnullos tamen, qui velitando Hiſpanos ſuſtinerent, emiſit. Hiſpanorum autem Centuriones perpendentes & militum labores & intolerabiles omninò æſtus ex ardentium navium domorumque intra ſepem ligneam flammis, quibus fatigati aridique nec ſervare ordinem nec exequi imperia

ria poterant non obſtante aliquali ſubmiſſo auxilio, receptui ſignum dederunt, ſuorum quinque, Indorum amicorum triginta deſideratis, præter paucos ſaucios. Die ſequenti Mariſcallus omnes copias in ordinem diſtributas ad fortalitium duxit animo in illud, ſi occaſio faveret, inſiliendi, cui cùm appropinquaſſet, neque plus ducentis paſſibus abeſſet, obſervans quantâ illud diligentiâ *Limahon* interlapsâ nocte reparaſſet, tria in eo tormenta majora, minora plurima collocata, aliaq; ad ignem in ingreſſuros injiciendum inſtrumenta: ſua verò tormenta eſſe exiliora quàm ut quatere magno damno vallum poſſent, curtum commeatum, cujus ſcilicet majorem partem, cùm contra piratæ inſultus Manilam defenderent, abſumpſiſſent, audito Centurionum concilio, decrevit ſatiùs eſſe cingere fortalitium obſidione, quæ nec diuturna eſſe poſſet deſtructo per prætedens claſſis fortalitijque incendium commeatu; nec incerta, facultate fugiendi perditis navibus undique præclusâ: fame itaque quàm violentiâ ſecuriùs in poteſtatem venirent. Verùm optimum conſilium ſuâ *Limahon* aſtutiâ eluſit, trium enim menſium, quo duravit obſidio, ſpatio naviculas, quo potuit modo fabricavit, quibus & ſe & ſuos tanto ſecreto ſubduxit, ut plurimùm mirarentur Hiſpani, dubitarentque etiam-dùm poſt factum fieri potuiſſe.

tuiſſe. Non proſequor minutim quæ tribus obſidionis menſibus acciderunt, licet acciderint memoratu digna non-pauca, contentus enarrare cauſas ingreſſus Auguſtinianorum ſociorumque in Chinam, & quæ ibi viderunt, quorum gratiâ hæc de *Limahonis* rebellione cæteriſque ejus actis ſunt introducta.

CAPVT VIII.

Omoncon Claſſis Regiæ Chinenſis Præfectus Limahonem piratam perſequitur, ac noſtris Hiſpanis occurrit.

1. DVrante obſidione cum non raro è caſtris Manilam (abeſt hæc ab oſtio fluminis *Pangaſinan* leucis non amplius quadraginta) & Manilâ ad caſtra ad ſubvehendum commeatum, & ſi quæ alia neceſſaria putabantur, navigia commearent, accidit Michaëlis de Loarcho navem, quâ P. Martinus de Herrada Ordinis Eremitarum S.P. Auguſtini in illis partibus Provincialis ab alloquio cum Mariſcallo habito Manilam ad celebranda ſui Ordinis Comitia revertebatur, occurrere navi Chinenſium (a) in inſula & portu *Buliano* ſeptem à flumine *Pangaſinan* miliaribus

(a) *Sanglyes. A quibus Regnum, quod nos Chinam vacamus, vocetur Sangley. vide 1. parte lib. 1. cap. 6.*

aribus. Eundem, ex quo Hiſpani ſolverant, Chinenſes portum petebant. Noſtri hoſtem arbitrati quamquam non plures quinque ſupra P. Provincialem & nautas eſſent, fortunę ſuæ & alterius ſe ſequentis navis fiduciâ in Chinenſes intrepidè invehuntur, brevique, (quòd Chinenſes à fuga, quam tentabant, adverſis ventis prohiberentur) ventis remiſque adjuti tam propè ſe admovent, ut tormento globum injicere Chinenſibus poſſent. Vehebatur cum Hiſpanis Chinenſis quidam *Sinſay* dictus, ob frequentia, quæ Manilæ fecerat, mercimonia egregiè illis notus charuſque. Iſte illos, qui obversâ nave veniebant, Chinenſes ex lingua agnoſcens affirmanſque non eſſe pyratas, Hiſpanos, ne exploderent aliudve malum inferrent, donec certius aliquid cognoſceret, rogavit. Qui conſcenſâ prorâ patriam ab illis & adventus cauſam ſciſcitatus didicit navem hanc unam eſſe ex claſſe, quam Chinæ rex ad perſequendum *Limahonem* pyratam miſerat. veniſſeque exploratum iſtas inſulas an non in earum aliqua latitaret qui toto mari non erat conſpicuus, ideoque ſe portum *Buliano*, unde ipſi erant egreſſi, petiîſſe, fugere autem voluiſſe formidine piratæ, à quo duas illas naves adverſus ſe miſſas erant arbitrati.

2. Hac oratione confirmatis utrimque animis, edi-

tiſque amicitiæ teſtimonijs Hiſpani ſcaphâ ad Chinenſium navem applicuerunt, dictum *Synſay*, ut eo interprete jucundior eſſet utiliorque conventus, ſecum ducentes. Venerat in dicta Chinenſium nave *Omoncon* præcipuæ authoritatis vir, qui P. Provinciali Auguſtinianorum cæteriſque Hiſpanis Regis ſui literas exhibuit, quibus venia dabatur omnibus qui *Limahonem* hactenus ſecuti ad Regias partes tranſirent, & capienti occidentive tyrannum magna munera addicebantur. Tùm *Synſay Omonconi Limahonis* in illas inſulas incurſum, Hiſpanorum ſe defendentium fortitudinem animumque, quo fugientem non tantùm ſunt inſecuti, ſed & obſiderent in fortalitio ſuper flumen *Pangaſinan* exſtructo incluſiſſentque nulla effugij ſpe relictâ, atque quæ huc pertinerent, ordine expoſuit, incredibili *Omonconis* lætitiâ, quam multis ſignis & repetitis Hiſpanorum amplexibus monſtravit. Ac licet grata nuntia ipſe claſſi ſuæ citiſſimè ferre deſideraret, maluit tamen priùs Mariſcallum convenire, à quo nec longè aberat, & cum quo occaſione *Synſay* præſentis Chinenſibus æquè ac Hiſpanis accepti videbat ſe utiliter de amicitiæ fœdere, de captivitate & cæde *Limahonis* poſſe conferre. Hac voluntate Chinenſes in Hiſpanorum caſtra, quò eodem die pervenerunt, Hiſpani Manilam inde commeatum advecturi diſceſſerunt.

C A-

CAPVT IX.

Mariſcallus in caſtris, Præfectus Philippinarum Manilæ humaniſſimè Omonconem recipiunt: agitur de Patribus Auguſtinianis in Chinam introducendis.

1. ADvenientem in caſtra *Omonconem* humaniſſimè Mariſcallus recepit, & oſtensâ obſidionis ſpecie facilè perſuaſit elabendi impoſſibilitatem, niſi per aerem viam ſibi alarum beneficio aperiret, nullo ad hoc claſſis Chinenſis auxilio eſſe opus. Quare *Omonconem* Mariſcallus rogavit, ut relictâ in portu, in quo hactenus ſecurè ſteterat, claſſe, cum Philippinarum Præfecto Hiſpaniſque Manilæ tantiſper animum relaxaret, donec coactum extremâ neceſſitate ad deditionem aut ſupremum conflictum *Limahonem* ipſe aut caperet aut cæderet, pauculos aſſeverans ad hoc dies requiri, ſe illi navem Petri de Chaves Centurionis Chinenſi opportuniorem tributurum, ac brevi capto vel occiſo pyratâ Manilam ſecuturum. Probato Mariſcalli conſilio, remiſſoque in altum mare, ubi tutiùs minorique ſcopulorum periculo agitâtem tunc tempeſtatem ferret, magno ſuo navigio, cum Petro de Chaves in ejus triremem con-

 ſcendit,

ſcēdit,quæ minor remiſq;impulſa propiùs litora quibus contra ventorum impetum defenderetur,raderet. Paucorū dierum ſpatio cùm Manilam appuliſſent, nō minorem in Præfecto, quàm in Mariſcallo, expertus humanitatem jucundiſſimè cùm Hiſpanis dies aliquot exegit, expectans in ſingulas horas nuntia, quæ maximè deſiderabat, captivitatis aut mortis *Limabonis.* Verùm cùm opinione diutiùs obſidio protraheretur, veritus ne longâ ſuâ abſentiâ claſſi à ſe relictæ aliquam ſiniſtræ fortunæ ſuſpicionem injiceret, ſecurus etiam de *Limabone*, quem ob ſtabilitam Hiſpanorum cum Chinenſibus amicitiam certamque promiſſionem non dubitabat ab iiſdem in manus Regis Chinenſis tradendum, ſtatuit grata hæc nuntia & ad claſſem, & in Chinam properè deferre, paratus finitâ cum ſperato effectu obſidione ad deducendum in Chinam *Limabonem* redire. Sententiam ſuam cum Philippinarum Præfecto aperuiſſet, eadem, quæ Mariſcallus fecerat, ab illo promiſſa accepit, vivum ſcilicet aut mortuum *Limabonem* ad Regem Chinæ mittendum, aut certè firmâ cuſtodiâ, donec datâ Regi notitiâ ejus ſuper illo voluntatem intelligeret, ſervandum: *Omonconem*, ſi redire ipſe ſtatueret, ſine ſollicitudine eſſe voluit, ſe commeatum, quantumcumque vellet, tributurum. Quibus à Præfecto humaniter

juxtà

juxtà ac liberaliter oblatis *Omoncon* reſpondere volens, promiſit ſe facturum, quòd tàm Præfectus quàm ejus anteceſſor Michael *Lopez* de Legaſpi jam pridem deſideraſſent. Dicebat ſe ex PP. Auguſtinianis intellexiſſe quantis uterque laboribus conatus fuiſſet, eoſdem Patres in Chinenſe regnum ad prædicandam legem Evangelicam,& indagandas ejus qualitates immittere, ſed irrito hactenus molimine, quòd mercatores Chinenſes, qui in Philippinas mercimoniorum causâ veniſſent,nullo pretio benificijſve, ut dictos Patres Auguſtinianos ſuis navigijs in Chinam inveherent, ſuperari potuiſſent, ſeveritate legum, quibus exteri in regnum induci vetantur, perterriti: Se verò optimorum nuntiorum fiduciâ tentaturum,quod alij negaſſent, ac dictos Religioſos & qui cum illis mitterentur milites ſecum ducturum, ſperare ſe Provinciæ *Aucheo* Pro-regem ob recentem cum Hiſpanis amicitiam tot optimi animi indicijs confirmatam aliquid de vetere rigore cum perſonis dictæ nationis remiſſurum; & ne dubitarent, ſe in majorem fiduciæ ſecuritatem obſides daturum, quos Præfectus elegiſſet.

2. Nihil certè Præfecto offerri gratius potuiſſet; ac mox (obſidum tamen obligatione ob *Omonconis* virtutem nihil indecens in ſocios, quos advehebat, per-

miſſuram remiſsâ) Auguſtinianorum Præfectum Provincialem vocari juſſit. Erat is P. Alphonſus de Alvarado recentibus Patrum ſuffragijs P. Martino de Herrada ſuffectus vitæ ſanctitate celebris, & quem inter cæteros ad Novæ Guineæ conquiſitionem Imperator aliquando miſerat. Hic *Omonconis* ex Præfecto oblatione intellectâ, tanto fuit gaudio perfuſus, ut decrepitæ ætatis incommodorum oblitus ipſe ſe iturum proclamaret. Quod non admiſit ob ætatis venerationem aliaſque cauſas Præfectus, ſeriò tamen inter utrumque deliberatum, quis ad tanti momenti negotium, quale erat fidem Catholicam in potentiſſimum maximumque regnum introducere, aptiùs mitteretur. Convenerunt Religioſos mittere, ſed non ampliùs duos, ne naſcens Provincia pluralitate exeuntium exhauriretur; duo etiam milites cum illis proficiſcerentur. Religioſi fuerunt R.P. Martinus de Herrada Pamplonâ oriundus, qui Provinciali Præfecturâ defungebatur, non doctiſsimus tantùm ſanctiſsimuſque, ſed qui ſtudio linguæ Chinenſis, quam didicerat perfectiſsimè, & multiplici conatu, ut ſeipsũ mercatoribus Chinenſibus in ſervum venderet, maniſeſtiſsima dederat indicia quanto zelo in iſtud opus propenderet: & R.P. Hieronimus Marin ſcientiâ item præclarus, quem civitati Mexicanæ Ordo Augusti-

guſtinianus debet. Et injurius ſim ſi memoriæ poſteritatis nomina ſubtraham generoſiſsimorum æquè ac in fide Catholica fundatiſsimorum militum, ut & Religioſis Regi Chinéſi, ut ſperabatur, legem Euangelicam prædicaturis adeſſe cum emolumento Catholicæ Religionis poſſent, & Præfecto Philippinarum Regique Catholico nuntia referre ſucceſſûs. Horum alteri Petrus Sarmiento, alteri Michaël de Loarcha nomen erat. Ille (a) Vllorado natus Præturâ principali in civitate Manilenſi fungebatur: hujus (b) paulò antè mentionem fecimus. (c) *Omonconis* promiſsione ac perſonarum ad iter denominatarum nominibus per civitatem vulgatis non vulgari gaudio omnium animi exilierunt, reputantes nec pro fidei Catholicæ promotione nec pro Regis ſervitio potuiſſe aptiores diſignari: quæ ſi ſuccederent, quilibet ſua inde naſcitura commoda cogitatione præcurrebat; quæ res, ne alij inviderent, effecit. Advocavit mox Manilæ Præfectus deſignatos, ac præſente *Omoncone*, quid rerum ageretur, aperuit, gaudio illorum inexplicabili, quod exquiſitis gratiarum actionibus nondum plenè teſtari poterant. *Omonconem* idem Præfectus aureâ catenâ, & veſte coccineâ pretioſiſsimâ, quæ, quòd ignotus Chinenſibus color eſſet, tantò majorem apud *Omonconem* æſtimationem accepit, donavit. Adjunxit

(a) *Petrus Sarmiento.* (b) *Michaëlis de Loarcha,* (c) *Cap. 8. nu. 1.*

junxit aliud ad *Cincheo* qui *Omonconem* ad inſequendum pyratam miſerat, munus aliudque præterea ad Provinciæ *Ochian* Pro-regem, qui in civitate *Aucheo* morabatur. *Synſay* quoque mercatorem Chinenſem cùm ob veterem ſinceramq; cum Hiſpanis amicitiam, tùm ne neglectûs indignatione aliquid contra recentes Hiſpanorum conatus moliretur, aureâ catenâ honorauit. Servos Chinenſes, quos ex poteſtate *Limahonis* Hiſpani exſtraxerant, libertati reſtitutos *Omonconi* attribuit, miſſo inſuper ad Mariſcallum Centurioneſque qui *Pangaſinan* obſidione detinebantur, ut idem facerent, mandato; pretium, quo quilibet æſtimabatur, ipſe perſolveret. His actis omnia ad feſtinatam profectionem parari juſſit.

CAPVT X.

Omoncon cum nuntio obſidionis, quâ Limahon arctiſſimè ab Hiſpanis premebatur, in Chinam reuertitur ſecum ducens Auguſtinianos.

1. DVodecimo itaque Iunij die, qui tunc Dominicus erat, anni M. D. LXXV. Præfectus Manilenſeſque omnes ad monaſterium PP. Auguſtinianorum convenientes ſolemni, quod de Spiritu

tu ſancto celebrabatur, Sacro interfuerunt, Deum rogantes ut conceptum iter ad gloriam ſuam, animarumque, quas maximo numero in Chinenſi Regno ſub miſerrimâ ſervitute dæmon continebat, ſalutem feliciter dirigeret. Illo abſoluto *Omoncon* & *Synſay* actis Præfecto cæteriſque Hiſpanis pro humanitate ac liberalitate gratijs valedixerunt, ſeriòque *Omoncon* promiſit perpetuam & non fucatam amicitiam, quam opere ipſo quàm prolixis verbis uberiùs teſtaretur; prius verò in ſeipſum damna, tormenta, opprobria, quàm in illos, quos fidei ſuæ commiſſos ſuſceperat, permiſſurum. Ita inter mutuas gratiarum actiones ſeparantur, Religioſi verò duo totidemque ſocij non ſine lachrimis utrimque largiter fuſis dimiſſi ſunt.

2. Naves binæ in portu ſtabant, una in *Omonconis* ſociorumque diſceſſum parata: altera mercatorum Chinenſium. In priorem *Omoncon* & Auguſtiniani, tùm quotquot alterutros comitabantur, conſcenderunt; in poſteriorem *Synſay* cum impedimentis, quæ ad portum *Buliano* in magnam *Omonconis* navem (a) ſimul cum tranſituris in illam hominibus transferrentur. Prior navis non ante diem Dominicum ſequentem ad portum appulit contrarietate ventorum impedita, ſed quò illam poſterior commodioris ſtru-

(a) *cap. præc. nu.* 1.

E ctura

ƈturæ beneficio prævenerat. Invenerunt in eodem portu duos milites à Mariſcallo ex caſtris miſſos qui ſuo mandato Religioſos ſocioſque milites *Pangaſinan* vocarent. Hi veriti ne inceptæ & tam deſideratæ profeƈtioni remoram, quæ quantumcùmque exigua, maxima anhelantibus in Chinam videbatur, injiceret, detineretque quoad *Limahonem* ſeu vivum, ſeu mortuum finitâ obſidione cùm illis mitteret, ſatiùs primùm duxerunt non obedire vocanti; ſed pergere quò cœpiſſent: ſuaſu tamen R.P. Martini de Herrada, qui Mariſcallum adhuc infantulum noverat educaveratque velut filium, naƈtus iſtius occaſionem, dùm cum Michaële *Lopez* de Legaſpi primo Philippinarum deteƈtore & Præfeƈto, Mexico, qui nepotulum ſuum, jam Mariſcallum, ſecum vehebat, ſolveret, (a) & conſideratâ maturiùs ejus benignitate & Religione ſeriò Catholicâ maluerunt mandâti parêre, & ſalutare, qui in caſtris erant, amicos. Quapropter ad *Pangaſinanſia* caſtra, quæ ſeptimo à portu miliari aberant, navem convertunt, ſed quam, cùm ad tertium miliare non infeliciter navigaſſet, exorta ſubitò tempeſtas mox ad portum *Bulidno* rejecit; ideoque omnium arbitratu Petrum de Sarmiento in triremi, qua duo milites à Mariſcallo miſſi venerant quæque juxtà litora declinare poterat periculum, ire placuit,

(a) *lib 1. huius partis 2. nu. 1.*

placuit, qui & Mariſcallo omnium obſequia deferret, & Hiſpanorum in caſtris agentium pro fortunato tàm utilis decoræque profectionis ſucceſſu orationes ſollicitaret, adduceretq; interpretem adoleſcentē Chinenſem, quē Manilę ſacro fonte abluerant Ferdinandi nomine indito, ac Hiſpanā edocuerant linguam. Præſtitit quidem Petrus de Sarmiento commiſſa fideliſſimè, non tamen deſiderium videndi PP. Auguſtinianos & milites profecturos, quos venerabantur diligebantque quàm maximè, extinxit. Miſſi rurſum qui non longè abſentes, ne ſe inſalutatis abirent, rogarent. Humaniſſima invitatio ipsâ ſuâ conſtantiâ primam ſuſpicionem renovavit. Iverunt tamen, & feliciter, ſedatâ jam tempeſtate, mox pervenerunt in caſtra ingenti Mariſcalli cæterorumque lætitiâ. Adeò verò nihil eorum, quæ veriti fuerant, Mariſcallus tentavit, ut præter votum quædam ultroneè conceſſerit. Properè omnes remiſit, interpretem petitum dedit, ſervos Chinenſes uti juſſerat Præfectus in libertatem aſſeruit militibus illos promptiſſimo animo gratiſque dimittentibus, ad iter neceſſaria largitus eſt, *Omonconi* qui in portu *Buliano* remanſerat omnes literis commendavit ejus fretus humanitate, eademque ſe cum *Limahone* facturum, quæ Præfectus promiſerat, ſpopondit. A P. Martino de Herrada, ut ſuæ cohortis

E 2 mili-

militem Nicolaum de Cuenca, quem ad rerum nonnullarum emptionem in Chinam mittere parabat, ſecum duceret, rogavit. Acceptatâ proniſſimè petitione etiam hinc non ſine mutuis lachrimis abrumpuntur, repetuntque portum *Buliano*, cum quibus & honoris & deferendi *Omonconi* muneris causâ Tribunum Mariſcallus ire juſſit, addens binas, unas ſcilicet ad Præfectum *Chincheenſem* (a) alteras ad Provinciæ *Ochian* Pro-regem literas muneraque. Summa literarum erat incenſam à ſe ſuiſque *Limahonis* claſſem, cæſos ex ejus aſſeclis plurimos, *Limahonem* arctiſſimè ac nullâ elabendi ſpe reliquâ obſideri, venturum poſt paucos dies in ſuam poteſtatem, ſe traditurum illis vivum mortuumve. Munera erant, quæ inſolentiâ ſuâ æſtimationem in China eſſent inventura, fons argenteus, pannus Caſtellanus aliaque nonnulla nondum Chinenſibus viſa. Eodem die cùm ad portum *Buliano* appuliſſent, *Omoncon* audito benigniſſimè Tribuno literas ab illo munuſque lætus accepit, repetitâ, quam Præfecto Manilenſi fecerat, officiorum ſuorum promiſſione.

CA-

(a) *De Chincheo.*

CAPUT XI.

Solvunt è portu Buliano cum Omoncone Auguſtiniani perveniuntque in Chinam.

1. TAnto autem Chinæ deſiderio P. Martinus de Herrada tenebatur, ut nihil ſatis ſecurum, omnia nimis tarda viderentur. Deſiderium incendebant non tàm admirandæ res quæ de Chinenſi Regno aliorum relatu ferebantur, quam propagandæ Catholicæ Religionis ardor. *Omonconem* itaque, mox ut ad portum *Buliano* redierat, obnixiſſimè rogavit, ut abruptâ omni morâ vela facerent, quod non difficulter impetravit ab homine non minùs in Chinam quamquàm alias ob cauſas feſtinante. Nautis igitur paratos eſſe juſſis, horâ poſt mediam noctem quartâ, die Iunij vigeſimo quinto (Dominicus erat) precibus priùs communiter fuſis ſolverunt, Ioanne de Triana milite Hiſpano ad obſequia in navem, quod ad maria eſſet aſſuetus, aſſumpto. Præter *Omonconem* ejuſque aſſeclas, Patres Auguſtinianos ſocioſque milites & ſervitia, mancipia Chinenſia, vehebantur perſonæ omninò viginti. Inceptam feliciter navigationem ſecuta mox malacia ad dies aliquot tardavit,

verùm valido vento hanc rurſus tarditatem compenſante in Chinam appulerunt die Dominico ſequente, Iulij tertio, ([a]) confectis, quantùm conjicere poterant, miliaribus centum & quadraginta. Navem Chinenſes gubernârant ſolius acus nauticæ in duodecim partes diſtributæ beneficio, nondum edocti mappas marinas conficere aut adhibere, ideoque non alias navigationes auſpicantur, quàm quæ illos à conſpectu terræ aut vix aut parùm abducant, mirati propterea Hiſpanorum audaciam, qui aſſeverabāt, cùm è Mexico in Philippinas veniſſent, trium menſium ſpatio conſpectu terræ fuiſſe privatos. Viginti à terra miliaribus aquam ex fundo ad ulnas ſeptuaginta vel octuaginta alto invenerunt, altitudine iſtâ, quò propiùs terram acceditur, paulatim ſe diminuente, quo nullum certius Chinenſes habent propinquæ terræ indicium.

2. Toto navigationis tempore *Omoncon* eam PP. Auguſtinianis alijſque exteris humanitatem exhibuit ut venerationi Dominis competenti eſſet ſimilior. PP. Auguſtinianis ſuum ad puppim cubiculum, aliud item aptum Petro Sarmiento & Michaëli de Loarcha attribuit, nullis in recuſationem verbis aut geſtibus admiſ-

([a]) *Si dies 25. Iunij fuit Dominicus, non potuit ſequens tertius Iulij eſſe Dominicus ſed ſecundus; verti tamen ſicut inveni in Hiſpanico libro.*

admiſſis. Majorem illis quàm ſibi haberi reverentiam voluit. Auditâ ſub navigationis initiũ Auguſtinianorum querelâ, quòd Chinenſes idolis ſuis inanibus ſcilicet nugis ſacrificia, quæ ſoli uni Deo debentur, obtuliſſent, abſtineri in poſterum juſſi: abſtinueruntque quamquam ſoliti ſæpius uno illa die repetere, prodigio certè venerationis. Imaginibus econtrà quas ſecũ Auguſtiniani deferebant, etiã genua flectebant magno devotionis ſenſu. Cum à lõgè videre terram cœpiſſẽt, mirati inſolitam in illo mari & iſtis maximè mẽſibus proſperitatem non dubitarunt eam Auguſtinianorum Hiſpanorumq; aliorũ adſcribere orationibus. *Omonconi* in humanitatis attributione nõ ceſſit *Synſay* Hiſpanorum jam-pridem cõſuetudine & neceſſitudine victus.

3. Propiùs ad terram accedentes *Titubul* egregiam multiſque turribus ſublimem civitatem ad *Chincheo* Provinciam ſpectantem ejuſque Pro-regi ſubjectam acie oculorum detexerunt, ipſi viciſsim à primis excubijs in rupe ad fauces maris conſtitutis ſequenti die detecti. Hæ cognitis in malis Regis Chinenſis vexillis, navibus ſeptẽ poſt rupem religatis (erant ex illis quas ſuprà quadringentas ad defenſionem illorum litorum Rex ſemper habet paratas, in ipſa inſuper civitate *Titubul* præſidium decies mille militum) ſignum dedêre. Quæ mox adfuerunt advenientem exploraturæ,

turę. A quibus quid factū ſit ſequens caput explicabit.

CAPVT XII.

Omoncon ad Provinciam Chincheo appellit: quædam ejus, antequam in terram aſcendat, cum altero Centurione velitatio.

1. VIdens *Omoncon* ſeptem illas naves recto ad ſe curſu tendere, ſuam divertendo ad oppidum quoddam non amplius duobus inde miliaribus diſtans in patriam ſuam direxit, atq; hâc obliquitate inimici ſuſpicionem Præfecto totius claſſis ad illa litora excubantis injecit. Quare Præfectus cum tribus navibus expeditis levibuſque adverſus eum vectus, curſum, quò cœperat, intercluſit. Factus proximior, vela ut contraheret, *Omonconi* mandavit, quod detrectavit arbitratus non Præfecti ſed alterius tenuis conditionis illud fuiſſe præceptum. Mox tamen, ut è propinquo Præfectum agnovit, contraxit. Subſtitit & Præfectus contractis velis, miſſâque ſcaphâ venire ad ſe & rationem coram ſe patriæ & actorum reddere, quicumque obverſo navigio veheretur, juſſit. Paruit *Omoncon* promptiſsimè, licet non ſine caſtigationis ob fugæ ſimilitudinem metu. Verùm meliori

liori fortunâ viſus ſimul & à Præfecto agnitus, quantùm ex ſignis geſtibuſque conjectare Auguſtinianis licuit, perbenignè fuit exceptus. Erat porrò Præfectus ſtaturâ egregiâ, quam pretioſis veſtibus exornârat, atque in puppi ſolio ſubnixus reſidebat umbellâ tectus. *Omonconem* autem in tabulato ſine ſede ſe locare juſſit inſigni in China honoris teſtificatione, quâ ſe indignum proteſtatus *Omoncon* totam itineris ſui rationem & ſucceſſum *Limahonis* tantùm non captivitatem, comitatum Religioſorum aliorumque Hiſpanorum (quibus in illo Regno *Caſtillas* nomen impoſuerunt) qui dictarum rerum nuntia & pacis tractatum ad Proregem *Aucheenſem* (a) ferrent, haberentque commiſſa ſibi munera ad eundem, atque Præfectum *Chchineenſem* (b) à Manilæ Præfecto, & caſtrorum, quæ *Limahonem* obſidione cingebant, Mariſcallo, prolixè enarrat. Vix finierat *Omoncon* cùm remiſsâ ſcaphâ Auguſtinianos comiteſque Hiſpanos ad ſe advehi mandavit videndi peregrina corpora moreſque ac habitus, nec non conferendi de multis deſiderio, quod in illo *Omonconis* oratio excitaverat. Illi autem licet adhuc inter ſpem & metum dubij magiſque in hunc quàm in illam declinantes conſcenſâ nave cùm ad claſſis Præfectum advenissent non vulgaris in illius geſtibus vultuque ex eorum adventu lætitiæ ſigna obſervantes, ponere ti-

(a) *de Aucheo.* (b) *de Chincheo.*

morem cœperunt, qui majore deinde impetu eorum pectora invaſit quando eos in inferiorem deduci navem & cubiculo includi cum interprete à ſe adducto Præfectus præcepit. Ibi non ſine futurorum ſollicitudine attentè conſiderabant, quo iſta animo à Præfecto gererentur, obſervabantque per portæ rimam tumultuariè ab omnibus, qui in navi erant, adeòque ab ipſo *Omontone* arma capi, explodi aliquoties bellica tormenta, ſclopetorum ictus frequentari, miſceri magnis clamoribus cælum, ut jam non dubiè venturum mox carnificem, qui ſupremo illos ſupplicio è medio tolleret, vererentur. *Omoncon* intereà conversâ ad Hiſpanos memoriâ recordatuſque promiſsæ ſecuritatis, miſſo ad eos famulo, qui armorum tantæque agitationis & tumultûs cauſam aperiret, ex anxijs animis formidinem deterſit. Cauſæ autem, ut plenè ſciantur, aliquanto longiùs ſunt repetendæ.

2. Nuntijs in Chinam allatis, quòd cum ſua claſſe *Limahon* ad inſulas, quæ nunc Philippinæ dicuntur, declinaſſet, veriti Chinenſes, ne ſi cum Hiſpanis, quorum egregiam fortitudinem tranſvolante per maria famâ cognoverant, contractâ ſocietate jungeretur, hoſtem haberent difficulter ſuperabilem, Pro-rex Provinciæ *Ochianenſis* (a) imperio Regij Concilij omnibus omnium ad mare civitatum Præfectis mandavit,

(a) *De Ochian.*

vit, *Limahonem* celerrimè inſequerentur, additâ primò intercipienti largorum beneficiorum promiſſione. Quapropter *Chincheenſis* Præfectus cum expeditis, prout in tantâ feſtinatione poterat, navibus *Omonconem*, quem ad portum *Buliano* diximus in Hiſpanos incidiſſe; miſit. Sub idem tempus alia navis juſſa à Præfecto ad cuſtodiam ſinus maris vigilante vela fecerat, *Limahonem*, ſi poſſet, detectura, & quo ille loco conſiſteret relatura. Hæc ad *Synſayi*, quem conſtanti cum Hiſpanis amicitiâ junctum ac in eorum veniſſe comitatu diximus, patrem pertinebat, quam majori quàm à terra diſceſſerat, celeritate ruptis malis antenniſque tempeſtas remiſit.

3. Cùm è portu *Buliano* ad caſtra *Pangaſinanſia* à Mariſcallo vocati diſceſſerant Auguſtiniani, ſtabat in eodem portu navis mercatoria Chinenſis peractis in Inſulis Philippinis negotijs Chinam cogitans. Mercator de *Limahonis* anguſtijs, de *Omonconis* adventu, & reditus determinatione, de concepta Auguſtinianorum in Chinam profectione plenè poſt diligentem inquiſitionem imbutus quodam mane clam omnibus decimo, antequam *Omoncon* ſolveret, die in Chinam diſceſſit prævenitque eundem decimo item die. Qui mox Præfecto ſinûs maris omnia aperuit, venire aſſerens cum *Omoncone* & Hiſpanis *Sinſayum*, cui quid-

 quid

quid rectè geſtum erat, non *Omonconi*, eſſet tribuendum, mercaturæ, quam etiam *Synſayus* exercebat, ſimilitudine immodicè illũ in hujus laudes rapiente. Præfectus tam expetitis nuntijs lætus ſperâſq; præcipuam ſe à Rege gratiam relaturum, ſi ſignificaret illius, quem ipſe ad perſequendum *Limahonem* miſerat, filium fuiſſe principalem felicis ſucceſſûs cauſam, ſex è ſuis naves exire & venturam *Omonconis* navem in portum adducere, interclusâ aliò deflectendi facultate, juſſit. Quod ſi non poſſent, ſaltem *Sinſayum* adveherent, quem ipſe citatiſſimè ad Pro-regem mitteret omnium minutim narrationem facturum. Sex porrô naves ad claſſis Præfectum eodem, quo cum illo erat *Omoncon*, tempore approximârunt, non priùs ob navium multitudinẽ viſæ quàm cum ferè jũgerentur. Hâc de causâ Hiſpanos in interiora navis deſcẽdere, cæteros arma capere advẽtãtibus ſi neceſſe eſſet reſtituros Præfectus juſſit. Intereà una ex ſex in *Omõconis* navem invecta capere illã tentavit, rata non difficulter ſe id facturã ideoq; cùm temerariùs quàm prudẽtiùs illã adoritur læſione quorũdã nimiæ crudelitatis pœnas dedit *Omonconis* militibus acerrimè ſe defendẽtibus, prohibẽtibuſq; *Siŋayum* in paternam navẽ, quod voluiſſet, tranſilire. Iſto periculo defuncti ad Præfecti navem, in qua cum Hiſpanis etiam-num *Omoncon* erat, applicuerunt,

runt, eâque celeritate *Omoncon* in ſuam ex Præfecti nave Hiſpanique tranſierunt, ut prohiberi ab alijs maximoperè id conantibus non potuerint, ſtatuitque *Omoncon* mori potiùs quàm alios in ſuam admittere. Auguſtiniani etiam ac ſocij Hiſpani cognitâ per indicia famulique anteà ad ſe ab *Omoncone* miſſi narrationem diſſidij causâ, ſuam illi operam obtulerunt, imperaret tantùm promptiſsimè parituris fortiſsimèque ad extremum uſque ſpiritum pugnaturis. Intereà ad defenſionem vigilantiſsimè intentus *Omoncon* in appropinquantes rurſus naves tormenta exploſit, pulveremque, quem ipſe paucum advexerat, ab Hiſpanis popoſcit, Præfecto, apud quem *Omoncon* fuerat, ad horum conſpectum prorſus in ſua ſede immoto. At verò, qui ſex illis navibus *Chincheenſibus* imperabat Centurio in lembum tranſmiſſus convenire *Omonconem* ſtatuit, non tantùm non admiſſus fuit, ſed ſclopetorum ictibus & magnis ab *Omoncone* opprobrijs rejectus, quaſi partam tot laboribus & periculis gloriam ſibi præripere geſtiret, ad portum re infectâ retraxit. Advexerat hic Centurio *Sinſayi* filium patremque ut eorum amore & conſpectu illum ad ſe invitaret: quod cùm, prohibentibus tranſitum alijs, non obtinuiſſet, dictos patrem filiumque, uxorem item ac matrem in vincula conjecit, more apud Chinenſes non inuſita-

co,ut filij parentũ,parẽtes filiorum iniquitatẽ portent. *Sinſayus* hâc ſuorum injuriâ irritatus non priùs in domum ſuam contendit,quàm Pro-regis imperio è vinculis in libertatem eos aſſeruiſſet,quam facilè eſt conſecutus, magnorum præterea honorum & beneficiorum adjectione, ut mox dicemus.

CAPVT XIII.

Omoncon & Hiſpani in portum Tanſuſo exſcendunt, & juſſu Præfecti Chincbeenſis à Prætore humaniſſimè recipiuntur.

1. NOn admodùm diu poſtquam ſex navium *Chincheenſium* Centurio repulſus ab *Omoncone* diſceſſerat, ipſe etiam *Omoncon* cum conſortio ad portum *Tanſuſo* vicinum appulit die Martis ſub veſperam menſis Iulij quinto. Eſt autem *Tanſuſo* amœnum oppidum quater mille civibus habitatum & mille defenſum præſidiarijs, ac propinquo fortalitio egregiè munitum. Fundamenta ædium lapidea parietes ex luto ſuperſtructos ac calce ſuperductos, nonnullæ latericios muros habent, cubicula optimè elaborata, pulchras areas: Latæ plateæ totæ pavimento ſternuntur. Priuſquàm verò illuc appelleret *Omoncon*, non milites

lites magis quàm cives in altæ vertice rupis portui impendentis armati & veluti mox dimicaturi conſpiciebãtur,& inter eos Cẽturio præcipuus treſq;cum eo à Prȩfecto(*Inſuanto* Chinẽſes ſuâ linguâ appellãt)*Chincheenſi*, quem præcurrens navis (a) de *Omonconis* adventu inſtruxerat, miſsi, ut eum ſuo nomine quàm poſſent humaniſsimis verbis factiſque exciperent, additâ Centurioni juſsione ut ab ipſo portu donec ad ſe veniſſent nunquam Auguſtinianos deſereret, provideretque quidquid illis ſocijſque Hiſpanis neceſſarium obſervaret. Cùm in portum *Omonconis* navis influeret, aliquot tormentorum, & ſextâ ſclopetorum ſimultaneâ laxatione publicæ lætitiæ ſignum dedit, ipſe lembo ad *Omonconis* navem vectus.

2. Regij omnes miniſtri Centurioneſque inſignia quædam geſtant reliquo populo illicita, ſine quibus fas illis non eſt prodire in publicum; neque; etiamſi fas eſſet, prodirent, honoris deſiderio, qui in plateis locisque, ad quæ pergunt, amplior illis, conſpectis inſignibus, defertur. Illis omnibus generaliter *Loitias* nomen tribuitur, quaſi dicas nobiles aut Equites. Sunt autem iſta inſignia cingula larga variè extrinſecùs ornata, nonnulla auro, alia argento, teſtudineis ſquamis, ligno odorifero, ebore: principaliores eadem geſtant gemmis & lapidibus pretioſis conſperſa,

(a) *cap præc. nu. 3.*

pileos

pileos prætereà amplè auriculatos ocreaſque biſſinas aut holoſericas, prout prolixiùs diximus in tribus prioris partis libris.

3. Cùm ad portum applicuiſſent, Prætor illis facultatem egrediendi è nave, ſine qua cuſtodes maris prorſus eos terrâ prohiberent, ſcripto miſit. *Eſta licentia eſtaua eſcrita en un tablon enyeſado y rubricada del juez à cuyo cargo eſta dar la tal licentia.* Egreſſos parati ad hoc Præfecti (a) juſſu milites in ædes, quas ibi ſicut in pleriſque civitatibus, Rex habet, deducunt, ut illic hoſpitarentur. Ædes ipſæ magnitudine & ſtructurâ decoræ, porticibus & areis commodæ, habebant inſuper, quibus hoſpites oblectarent, varia ſtagna, quibus multâ atque jucundâ diverſitate piſces innatabant. Sciebat Prætor *Inſuanti* præſcripto minutiſſimè quid in cibis quid in alijs rebus peregrinis hoſpitibus exhiberet, Ideoque ipſus relictis in hoſpitio Auguſtinianis, quibus conſtantiſsimè Centurio ejuſque milites adhærebant, ad portum recurrit, & extrahi è nave impedimenta deferrique dictis Patribus magnâ diligentiâ præſens curavit.

4. Intereà tanta populi ad videndos exteros multitudo accurrit, ut ſuâ curioſitate non parùm moleſtiæ, tempore præſertim calidiſsimo, illis adferret, quod animadvertens, cùm à portu rediiſſet, Prætor adhibi-

(a) *Inſuanto*

tis ſatellitibus ingreſſos præmovit, ingreſſuros prohibuit, ut jam quidem æſtu minus Hiſpani fatigarentur, populus tamen creſcente deſiderio videndi homines ab extremo mundo allapſos & inſolitas illi veſtes, muros omnes occupavit, explorans ſi non patente aliquâ rimâ intuitus oculorum admitteretur. Sub veſperam Prætor illis more patrio convivium inſtruxit modo ſequente. Inductis in aulam curiosè ornatam poſitæ menſæ egregiè pictæ affixo ijs panno damaſceno vel biſſino dependente, ſine mappis, quibus nunquam utuntur, quòd cibos omnes quantumcumque tenues duabus furcinulis, quæ Europeis aliquantò ſunt majores, ex auro vel argento, vel ligno odorifero fabrefactis dexterrimè ſumant, nullâ aut menſæ aut manuum aut oris conſpurcatione. Ad has menſas ſinguli ſingulas pulcherrimis ſedibus conſederunt eo ordine ut menſarum diverſitas mutuum aut conſpectum aut alloquium non impediret. Illati ſunt autem cibi plurimi optimèque conditi, pernæ, capones, anſeres, gallinæ, partes bubulæ, piſces. Nec minori conditura curioſitate ac varietate bellaria miniſtrabantur ſaccarum, fructus, paſtilli, ciſtellis impoſita. Vinum ex palmæ fructibus expreſſum (non enim alio Chiſes utuntur) colore ſaporeque varium, judicio Hiſpanorum cum Europæo uvarum ſucco certare poterat.

Intereà verò aula muſicis vocibus inſtrumentiſque viciſſim reſonabat: obſervabant autem præcipuum eſſe uſum fiſtularum, tibiarum, tubarum, chelis, exiguâ formæ ab Hiſpanicis differentiâ. Longæ cœnæ Centurio, cui Auguſtinianorum ſociorumque curam demandatam diximus, *Omoncon* & *Sinſay* aſſiſtebant ſuo comitatu poſt cœnam in aliam illos ædium partem & cubicula pulcherrima ad quietem, quâ ſummoperè indigebant, deducentes.

5. Poſtridie (idem ſequentibus diebus, quoad *Chincheum* ad Inſuantum perveniſſent, in itinere ac civitatibus factitatum) pro jentaculo largiſſimè carnes, piſces, fructus, vina allata, facultate hoſpitibus datâ illa, ut ſuo guſtui magis accommoda ſentirent, præparandi. Pretium pro illis recipere Inſuantus vetuerat. Die rurſus ſequenti ad eundem portum appellens cum quadraginta, quibus præerat, navibus Centurio quidam, vix expoſitus in terram recto itinere ad Regias ædes exteros viſurus perrexit, ad cujus adventum, cujus ab illo prænuntium acceperant, præparati Hiſpani nulla à ſe patriæ humanitatis teſtimonia deſiderari paſſi ſunt. Accedebat verò Centurio ille non exiguâ pompâ præcedentibus eum militibus, ſatellitibus, tibijs, tubis, tympanis, & duobus qui à via populum removerent: duobus item lictoribus, ſingulis manu

manu geſtantibus arundinem crudele ad ſupplicia inſtrumentum, cujus ictus ſexaginta fortiſſimus ſalvâ vitâ non ferat. Hâc delinquentis proni ſuras maximè & coxendicem impetunt, dum alij caput pedeſque ne ſe moveat, tenent. Vix unquam ſine his lictoribus Iudices, Centuriones aut *Loitias* prodibunt in publicum, ne honoris detrimentum patiantur. Vapulant ſcilicet qui obviantibus plateam non cedunt; qui ex equo aut ſede geſtatoria, cujus frequens eſt in illo regno uſus, non deſcendunt; qui umbellam, quam contra ſolem geſtant ferè omnes, non dimittunt. Ipſe centurio ſolio eburneo, cui aurum affabrè intercurrebat, ſublimis octo virorum ditiſſimè veſtitorum humeris ferebatur, nec ante deſcendit, quàm in interius cubiculum, licet in atrio Auguſtiniani ſocijque illi occurriſſent, illatus. Vbi in parato ad hoc throno reſidens ab hoſpitibus reverentiam, quam illi edocti Chinenſium more, hoc eſt, pedibus ſtantes junctis manibus ſimul cum capite ad terram uſque dimiſſis exhibuerunt, recepit, quibus ipſe inclinato aliquantum magnâ gravitate capite reſpondit. Nec minori gravitate brevi oratione adventum illis in regnum Chinenſe eſt gratulatus, quod omnium lætitiâ, nullo ſuo incommodo, ut experirentur, eſſent peragraturi. Hæc cùm dixiſſet, ejus mox nutu famuli PP. Auguſtinianis ſin-

 gulis

gulis binos ex ſerico nigro pannos duodecim ulnas latos, ut unus ex dextro alter ex ſiniſtro humero dependens ad corpus cingeretur, impoſuerunt. Idem deinde militibus Hiſpanis,idē *Omōconi* & *Synſayo* (a) ipſique etiam interpreti fecerunt, *Omonconis Sinſayique* inſuper capitibus argētea ſerta addiderūt,more illius regni ita egregia ſuorū facinora honorātis uſitato. Quibus abſolutis omnia mox muſica,quæ cū illo veniſſe diximus, inſtrumenta inſonuerunt, miniſtris intereà intritas, paſtillos, ſaccārum, optimaque vina copioſe miniſtrantibus, quæ pedibus, ut erant, conſiſtentes ſumpſerunt, ipſe autem Centurio in throno conſidens, ritu apud gentem ſummi favoris amicitiæque ſingularis indice, ſingulis ordinatim potum obtulit, relictoque throno ad ſellam geſtatoriam rediens ac humeris, ut venerat, ſublatus inclinato parumper capite ex Regijs ædibus in proprias diſceſſit, quò eum poſt horæ ſpatium *Omonconis* & *Sinſayi* conſilio ſecuti noſtri viſitationem rependerunt,gratiſſimâ ipſi actione. Obſtupuerunt verò tunc maximè ad inſolitam Europæis majeſtatem ut *Omoncon* ac *Sinſayus* cæterique nō niſi in genua provoluti homini non admodū magnæ cæterorum collatione dignitatis reſponderent loquerenturve, quem poſteà ſtuporem *Inſuanti* & Proregis dùm ad eos venerunt,gravitas deterſit. Hîc rurſum

(a) *Sinſay.*

ſum varia intritarum,ſaccarique genera oblata & propinata vina, multoque quam in Regijs ædibus familiarior conventum ad veſperam uſque protraxit multa ſtudiosè rogitans,& veſtes veſtiumque formas cum jucunditate miratus.

CAPUT XIV.

Diſcedunt noſtri ex portu Tanſuſo Chincheum, (a) *ut illius loci Præfectum à quo expectabantur, viſerent, videntque in itinere res notatu dignas.*

1. EXactis in portu *Tanſuſenſi* non amplius duobus diebus, tertio die mane *Chincheum*, quò eos magnæ benevolentiæ teſtimonijs citòque deduci *Inſuantus* juſſerat, diſcedunt comitantibus non exiguo numero militibus ſclopetarijs, lancearijſque, quos frequentia tympana & tubæ excitabant, donec ad paratam illis navem pervenirent. Tantus autem erat populi in omnibus plateis ad ſpectandam peregrinam gentem concurſus, ut innumerabilis cenſeretur, & quem ut evaderent ipſi majori feſtinatione in navem properârunt, quos in ipſo fluvio tribus alijs navibus, unâ quâ ipſe, duabus quibus milites veherentur, Centurio, cujus capite præcedenti

(a) *Chincheo.*

 memi-

meminimus, ad duo uſque miliaria eſt proſecutus, lautitijs rurſus varijs Hiſpanorum, in quorum navem tranſierat, corpora animoſque demulcens, ut præ gaudij magnitudine ne quadrantem confeciſſe ſibi viderentur. Diſceſſurus ab ijs, relictis in navi nonnullis rebus quas ob hoc advexerat, oblatiſque non ſegniter obſequijs proteſtatus eſt ſe magno animi ſenſu deſerere quibus tátâ voluptate adhæſiſſet. Fluminis autem ripæ egregijs pagis oppidiſque, quorum ſingula ter quaterve mille domos continebant, fuiſſentque in alijs regnis non contemnendæ civitates, utrimque ornabantur, quorum nomina cum Hiſpani ſciſcitarentur, reſpondit ad eorum cuſtodiam obſequiaque deputatus Centurio (a) *Indigna hæc nominibus ſunt oppida, priuſquàm ad Regis aulam perveneritis, civitates conſpicietis, quæ & nomen mereantur & memoriam nominis.*

2. Ad terminum duorum miliarium, quæ cum noſtris peregiſſe Centurionem diximus, ingenti ſe ſinu flumen aperiebat, qui receperat centum quinquaginta navium claſſem eidem Centurioni ſubjectam, quæ ut advenientes Hiſpanos conſpexit, tormentorum & ſcloperorum exploſione ſimilibuſque luſibus tempori opportunis teſtati ſunt quàm grati hoſpites adveniſſent. Ita dictus Centurio juſſerat, & ſimul à noſtris diſcedens in unam ſuarum navium conſcendit. Noſtri rur-

(a) *cap. præc. nu. 1.*

rurſus tria miliaria eâdem vtriuſque ripæ, ex pagorum pulchritudine & frequentia, amænitate permenſi & medio dumtaxat miliari à civitate *Tangao* remoti, Chinenſium magis invitatione quàm ſuâ voluntate è navibus in terram deſcenderunt. Illuc *Inſuanti* juſſu occurrerant qui impedimenta hoſpitum, qui ipſos Religioſos & milites Hiſpanos humeris in ſella geſtatoria ferrent, pro eorum famulis equi parati ſtabant. Non unâ ex causâ oblatum præter ſpem honorem recuſabant Auguſtiniani, prætexentes exiguum reſtare iter, vias eſſe planas nitidaſque, ac arboribus ad recreationem conſitas: maximè verò contra honorem, ne humeris præclarorum virorum, quales eſſe videbantur qui ſuccollare geſtiebant, ſe ferri permitterent, humilitas pugnavit. Obluctati rursùm *Omoncon* & Centurio ad cuſtodiam deputatus eſſe ajebant iſtud *Inſuanti* præceptum, quod prævaricari ſine gravi eorum, quibus exequi illud præceptum erat, pœna non licebat. Ita cedere Chinenſibus coacti Auguſtiniani, arbitrati etiam hunc ſolemnem ritum ſolis *Loitias* exhiberi ſolitùm additurum exteris non leve æſtimationis, quam maximi ad perficiendum propoſitum fore momenti non ignorabant, incrementum, ſedilia occupârunt, quorum ſingula octo hominum humeris geſtabantur: Sociorum Hiſpanorum ſedilibus ſingulis

lis quatuor ſe Chinenſes ſupponebant, tanto ſtudio ut ægerrimè ferrent ſi alius præveniſſet.

3. *Tangoa*, quam ſuâ linguâ *Coan* dicunt, tria civium millia complectebatur arboribus fructiferis alijſque ad ornamentum æquè atque oblectamentum ad ingreſſum ſtudiosè conſita. Platea, per quam Noſtri ad ædes, in quibus hoſpitarentur, ferebantur, medij miliaris latitudinem habere dicebatur: hanc tamen, quod non parùm advenæ admirabantur, menſæ replebant mercibus pretioſiſſimis, piſcibus recentibus & ſalitis varij generis, avibus, carnibus, fructibus ac herbis eâ abundantiâ onuſtæ, ut civitati Hiſpalenſi (a) ſufficere poſſe viderentur: eâ autem multitudine populus occupabat, ut præcurrentes ad aperiendum tranſitum homines ſuccedenteſque milites eum difficulter impetrarent. Ad Regias tandem ædes magnis obniſibus perferuntur maximas optimaſque ex lapide & latere elaboratas ac atrijs cubiculiſque commodè diſtinctas, nullâ tamen altiore contignatione. In has ex ferentium humeris vix ſe Hiſpani retraxerant cùm adeſſe nuntiatur à Prætore civitatis (*Ticoan* illi dicunt) miſſus, qui felicem illis adventum precatus munus addidit, capones ſcilicet, gallinas, anates, anſeres, carnes quadrifariam ampliuſque varias, piſces, fructus, vinum, eâ omnia copiâ ut non majorem

(a) *Seville.*

jorem ducentæ ad convivandum perſonæ requirant. Totum ad gulam apparatum, quòd ab æſtus vehementia vitium contraxiſſe aut citò contracturum putarent, cum exiguo recenti Noſtri commutârunt. Sub veſperam refrigerij deſiderium, relictis in domo Regia Auguſtinianis, ſocios milites ad ambulandum per civitatem invitavit, qui poſteà narratione rerum, quas viderant admirandas, & ſocios, qui remanſerant, & ſeipſos denuò refecerunt; illos ipsâ novitate, ſe dicendi aviditate.

4. Hæc autem ſe vidiſſe ajebant: murum civitatis latiſſimum ex ingentibus lapidibus exſtructum aptis ad tormentorum collocationem & vigiliás locis compoſitum: ſe per plateam tranſeuntes à viro honorato precibus ſollicitatos ut in domum ex oppoſito ſitam ingrederentur, eſſe ibi Dominas principales quæ etſi per feneſtras eminus eos vidiſſent, majori tamen curioſitate pereginæ gentis tenerentur, quàm ut illi tam tranſitorio& indiſtincto intuitu ſatisfacere potuerint: ſe paruiſſe obſecrāti & ingreſſos inveniſſe in ampla area ſedes conſtitutas, illarum autem oculos maximâ quidem admiratione, ſed etiam honeſtate & gravitate in ſe fuiſſe aliquanto tempore defixos, atque intereà allata fuiſſe ex ſaccaro cupedia vinumque quæ intrepidè guſtaſſent, ac poſteà magnis gratiarum actionibus

bus fuiſſe dimiſſos: Inde perrexiſſe ad ædes ad recreationem juxta civitatis murum in ipſis aquis lapidibus conſtructas, porticibus & pergulis, in quibus plurimæ erant menſæ pictæ, diſtinctas; juxtà ingentia ſtagna quibus varij generis piſces innatabant; incumbebantque ſolidæ ex pulcherrimo alabaſtrite menſæ, ſingulæ ex ſingulo, minimæque diameter octo palmis erat æqualis, quas multis foſſis aquæ circumfluebant; erantque proximè in conſpectu plurimi diverſis floribus amœniſſimè conſperſi horti. Neque longè hinc pons aberat lapidibus maximis politiſſimiſque excitatus; menſi ſunt illos longitudine viginti, vigintique duos, latitudine quinque pedes excedere, ut impoſſibile ipſis viſum fuerit potuiſſe illos viribus humanis aptè collocari. His tamen majores poſteà in pontibus, quos iter *Chincheum* & *Aucheum* versùs habet plurimos, viderunt.

5. Nocte exactâ cùm è quiete ſurgerent, omnia ad iter parata præ foribus cõſpexerunt, ſedes geſtatorias, equos latores, qui tranſverſo per humerum fuſte partitique æqualiter ante & retro pondere duodecim (arroba Hiſpanis menſuræ nomen eſt viginti quinque libris æqualis) ferebant eâ facilitate ac velocitate ut equos ſuperarent. Priùs tamen quàm diſcederent, Prætori, qui pridie largiſſimum illud munus miſerat, vale-

valedictum iêre, qui non magis gravis quàm humanus excuſari petivit muneris exiguitatem, quæ longè eorum meritis inferior fuiſſet; injecitque ſingulis binas byſſini panni partes iſto planè modo quo idem fecerat Prætor *Tanſuſenſis*. Actis gratijs *Chincheum* pergunt: ibi *Inſuantum*, cujus mandato omnis illis præcedens honor fuerat exhibitus, inventuri.

CAPVT XV.

Iter Chincheum Hiſpani proſequuntur, videntque rara.

1. DIſtat à civitate *Tangoa Chincheum* miliaribus tredecim, planiſſimis vijs, & quæ ad itinerandum provocent. Toto itinere ne palmum quidem terræ fructibus vacuum obſervârunt, didiceruntque Chinenſium aſſeveratione ejuſdem conditionis eſſe omnem terram circumjectam. Populi autem pagorumque frequentia planè Noſtros in admirationem rapiebat. Dixiſſes non tàm pagos fuiſſe à ſe invicem diſtinctos, quàm unum eundemque continuò extenſum, ita ſingulis miliaris quadrantibus novi occurrebant: quam frequentiam in alijs etiam eſſe Regni Provincijs Chinenſes prædicabant. Mos illis eſt, omnem penè terram irrigare, quâ diligentiâ nativâque

fœcunditate toto anni tempore meſſem habent. Et ne de re miranda dubites, notârunt in illo-ipſo itinere Hiſpani, alibi orizam meti, alibi in ſpicis turgere, alibi in ſpicas formari, alibi fuiſſe recenter ſatam. Agros vaccis arant, bubalis & bobus: hi licet mole magni, planè cicures ſunt, cornua habent palmo non majora atque in ſe reflexa, ut nullum ab ipſis damnum ſit timendum. Eorum naribus perforatis annulos immittunt, his cordam annectunt, atque ita regunt, & quia prata non habent, paſcunt eos in agris orizâ ſeminatis, curâ famulo datâ ut avertat ne aliud quàm naſcentia inter orizam zizania evellant. In tota hac Provincia alijſque Regni ferè omnibus, quæ quindecim ſunt, magnâ copiâ triticum idque bonum, hordeum, borona, (a) milium, faſeoli, piſa, lentes, aliaque frumentorum & leguminum genera colliguntur, ideoque & exiguo pretio væneunt: nullum tamen eſt orizâ aut abundantius aut uſu ad vitæ ſuſtentationem frequentius.

2. Vias arbores in parallelos diſpoſitæ non tantùm ornant, ſed & contra ſolis æſtus defendunt. In ijs obvia paſſim tentoria itinerantibus, qui ſive pedibus ſive equo aut ſellâ geſtatoriâ ſunt innumerabiles, fructus cæteraq; quibus indigere illos cõtingit, miniſtrãt.

Quas

(a) *Borona frumenti genus eſt, ex quo in China panis conficitur ſed valde ater.*

Quas in vijs aquas invenêre dulcedine ſuâ frigoreque ad delitias ſpectare videntur, tempore præſertim calidiſsimo, quo nihilominus fontes & putei algent. Medium emenſis iter eminus manipulus militũ apparuit, velut in acie diſpoſitus, cujus conſpectu ſub initiũ non magis in admirationẽ rapti, quàm in timorem dejecti, ipsâ propinquitate & comitũ Chinenſium aſſecuratione omnem formidinem diſpulerunt. Miſerat ſcilicet *Inſuantus Chincheenſis* milites quadringẽtos partim ſclopetarios partim lancearios, qui cum Centurione ſui corporis cuſtode honoris causâ advenis occurrerent. Inſidebat Cẽturio equo cinericei coloris exiguo, quales ſunt omnes plurimùm equi Chinenſes, Auguſtiniani ſocijque Hiſpani humeris hominum, ut dictum eſt, ferebantur, eodemque tempore ille ex equo in terram deſiliens, hi è ſedilibus dimiſſi; invicemque perbenignè ſalute datâ receptâque, ſe militeſque ab *Inſuanto* miſſos ait illis in occurſum, ipſum autem *Inſuantum* in civitate *Chincheenſi* magno deſiderio eorum adventum opperiri, voluiſſeque ut eum, quantùm poſſent, maturarent.

3. Centurionem hunc pretioſiſſima veſtimenta ac catena aurea collo circumjecta ſplendidum, at verò corporis ſpecies bonitaſque judicij honorabilem faciebant. Ad ſtapedes famulus ibat qui ingenti ex ſeri-

co umbellâ ſolis radios arcebat: pileus ejus ab omnibus hactenus viſis differebat plurimùm: præcedebant autem qui tibiarum & tubarum concordi diſcordiâ ſequentium aures mulcerent. Ipſius certè quadringentorumque militum comitatus ad oblectamentum magis ſerviebat & majeſtatem, quàm quod neceſſarius ad ſecuritatem putaretur: nam etſi plenæ itinerantibus ſint viæ, nullos videas arma deferre lege regni omnibus, præterquàm militibus ad ſingulorum pagorum cuſtodiam conſtitutis, aut ijs quos in omnem neceſsitatem ſubvenientem Rex in præſidijs habet, id ſub pœna vitæ rigidè prohibente. Paſsim toto itinere videre erat euntes venienteſque oneratorum mercimonijs alijſve rebus mulorum turmas. Viæ, etiamſi eâ ſint amplitudine ut viginti homines lateraliter ſe mutuò ſine ullo incommodo trâſire poſsint, totæ magnis lapidibus ſternuntur: quod & in alijs factum Provincijs adfirmant unius Regis curâ, qui magnam ſuorum theſaurorum partem in hoc expenderit. Quod à veritate alienum non videbatur, nam etiamſi nonnunquàm Hiſpani per loca, in quibus alti erant montes, fuerint itinerati, planas tamen vias eodemque modo ſtratas obſervaverunt.

CA-

CAPVT XVI.

Perveniunt Auguſtiniani ad civitatem Chincheo, benignèque recipiuntur: narrantur quædam de rebus illius civitatis curioſa.

1. DIe Iulij undecimo (Sabbatinus tunc erat) horâ poſt meridiem quartâ Auguſtiniani ad civitatem *Chincheó* pervenerunt. Iſta porrò civitas inter medias illius Regni habetur, civibus, ut putabatur, plus minus ſeptuaginta millibus inhabitata, rebus ad vitæ ſuſtentationem neceſſarijs mercimonijſq; abundans: abundantiam hanc facit exigua maris ad duo dumtaxat miliaria diſtantia, & ingens eam mediam irrigans fluvius, per quem mari jungitur. Fluvius in ſuburbio ponte ſternitur, quem ſine errore dixeris totius mundi pulcherrimum: ſurgit perficiturque ingentibus petris, quarum minima viginti duos pedes longitudine, latitudine verò quinque ſuperat; ipſa pontis latitudo eſt octingentorum paſſuum, eaque rurſus in tempus belli alteriuſve neceſſitatis pontibus mobilibus intercîſa. Ad pedem illius milites magno numero velut ad pugnam parati ſtabant, qui appropinquantium Hiſpanorum honori laudandâ agilitate ex-

exploſerunt. Accurrentes ad conſpectum exterorum cum ſuburbij ac civitatis plateæ, triplo licet Hiſpanicis largiores, non caperent, navibus curioſitatem ſolari conati, ampliùs mille naves majores, ſcapharum autem eum numerum adduxerunt, ut planè fluminis undas tegerent, videreturque ordinatum ex compoſito theatrum, in quod ſpectatores convenirent, adeò ab iis omnia occupabantur. Civitatem muri ex ſectis lapidibus altitudinis quadraginta duorum, latitudinis viginti quatuor pedum ornant æquè ac defendunt. In turribus, quas plurimas ſupra portas ſtruunt, tormenta bellica collocant ſtatuuntque præcipuam defenſionis fiduciam, ignari munimentorum Europæorum. Ædes affabrè ædificatæ de induſtria humiles ſunt frequentium terræ-motuum formidine.

2. Plateæ omnes, illaque præſertim per quam Hiſpani ingrediebantur, ab utroque latere porticus habent, in porticibus officinas multiplicibus pretioſiſsimiſque mercibus plenas. Vſitatum Chinenſibus in principalioribus plateis ad certas diſtantias arcus triumphales erigere, ac juxta hoc fora habent rebus ad victum ſpectantibus, ut carnibus, piſcibus, herbis, intritis, ſimilibuſque abundantiſsima, & diſtribuuntur omnes nullo ferè pretio. Carnes optimæ ſunt aptiſsi-

tiſſimęque ad nutrimentum, ſuillâ pro delicijs veſcuntur, non minùs ſanâ quàm ſit in Hiſpanijs vervecina. Fructus viderunt aliquos Hiſpanicis ſimiles, nōnullos diſsimiles nunquamq; ipſis viſos, formoſiſsimos tamē lapidiſsimoſque. Inter cæteros placuit unus meloni Europæo formâ non abſimilis, aſt major, & pruni genus prorſus in magna licet quantitate ſumptum, innoxium, quod frequenti ſciverunt Hiſpani experimento.

3. Tam arctè ſe in principali platea, per quam exteri tranſibant, ſpectatores premebant, ut projectum granum non inveniſſet quà in terram decidere potuiſſet, ideoque patuit Auguſtinianis tranſitus difficillimè, quantumcumque præcedens Centurio, de quo diximus, & ſedium latores perrumpere populum removereque conarentur. Tandem multo labore ad ingens ædificium, quod erat monaſterium Chinenſium Religioſorum, delati hoſpitium in eo ceperunt.

CAPVT XVII.

Hiſpani à Præfecto Chincheenſi vocati ad eum vadunt: curat illis indicare cæremonias, quas ſeruare venientes ad alloquium debebant.

1. LAbores itinerum ac multitudinis compreſsio fecerant, ut majori quietis quàm viſitandi *Inſuantum* deſiderio tenerentur. Mox tamen ab introitu ab *Inſuanto*, ut exteram gentem videret, anhelante vocati, quieſcendi cupiditatem neceſſitati poſtpoſuerunt. Pedibus ſpatium interjectum inter ſuas & *Inſuanti* ædes conficere inſtituunt, ſeu quòd illud exiguum eſſet, ſeu quòd *Inſuantus* juſsiſſet: nam ductum quidem Centurionis ſequebantur, incerti de modi cauſâ. Ad medium plateæ, quæ non minori populo quàm illa per quam intrarunt ſcaturiebat, magnâ illis majeſtate pręlatis vexillis præcurrétibuſq; fuſtigeris & lictoribus *Loitia* unus ſellâ eburneâ auro varijs locis obductâ & quam ex aureo panno cortinæ Regis inſignibus (a) notatæ hinc inde cingebant, portatus occurit ut advenientes reciperet. Qui ex externa venientis ſpecie *Inſuantum* eſſe arbitrati docentur Auditorem eſſe *Inſuanti* ex Concilio ad ædes, quas in iſta platea

(a) *Regis Chinenſis inſignia erant laqueati ſerpentes.*

platea habebat, redeuntem. Cùm jam pænè noſtris *Loitia* jungeretur nó ſiſtendo iter, capite ſignum dedit ut ad ejus ædes regrederentur, cui parentes Centuriones ſecũ illuc alios duxerunt. Erant ejus ædes pulcherrimæ, cujus patulã ingentemq; aream fons formoſiſſimus irrigabat, recreabatque adjectus hortus. In illas intrantem Auditorem ſoli Hiſpani ſecuti ſunt, reliquis omnibus in platea ejus mandato manere juſſis. Perbenignis verbis vultuque adventum exteris in Regnum Chinæ adgratulanti offerentique obſequia non minori humanitate per interpretem reſponderunt noſtri. Tum cibos inferri potumque juſſit, quæ primus ipſe guſtavit. Accerſitum deinde Centurionem, cui cura data noſtros deducendi, quòd pedites eos venire permiſiſſet, ſeveriſſimè objurgavit, ſeriò-ne an induſtriâ ſimulatione incertum, quamquàm corporis motus imperiumque, ut confeſtim duæ ſellæ geſtatoriæ pretioſiſſimę è ſuis adferrentur, veræ indignationis teſtimonia videri potuerint, niſi fuerint tegumenta ſolemnis fictionis. Auguſtinianis ſellæ iſtæ datæ, comitibus equi, quibus ad expectantem eos *Inſuantum* pergerent, futurum ajens ut ſe invicem aliquando prolixiùs convenirent.

2. Multò pulchior, quâ ducebantur ad *Inſuantum*, quàm quâ intraverant, platea apparebat, ditiores

 utrim-

utrimque porticus, (a) ornatiores domus, arcus ſumptuoſiores, æqualis ſpectatorum concurſus, quibus extra ſe rapti ſomniare ſibi videbantur vigilantes. Rerum nunquàm antè viſarum novitate & magnificentiâ attoniti ſeſeque oblectantes deferuntur in ſpatioſum locum, in quo plurimi milites biſsinis inſignibus (b) veſtiti, cum ſclopetis, lanceis, alijſque armis, explicatis vexillis, ordinatim diſtributi ſtabant. Hunc locum ingredientibus ex oppoſito latere palatium objiciebatur ſumptuoſiſsimum, cujus amplam portam ex lapidibus affabrè politis plurimæ figuræ, & incumbens ſupra eam patula feneſtra auratis cancellis defenſa decorabant. In hanc Hiſpani cęteris magnâ licet difficultate ob accurrentium impetum excluſis inferuntur. Intrantibus ad primam aream occurrit vir egregio habitu, qui ſigno manu his, qui ferebant, dato declinare in atrium ad dextram juſsit. Ad atrij ingentis pulcherrimique caput altare conſpiciebatur dives ornatumque ac cælo ex aureâ telâ, quod ejuſdem materiæ fimbriæ cingebant, tectum: in quo plurimis & differentium figurarum idolis tædæ ardebant. Illuc veniens ad eos *Inſuanti* famulus voluit ante omnia interpretem ad *Inſuantum* intrare, de rebus quas ſervare, ſi ad alloquium admitti vellent, neceſſe eſſet, edocendum. Ingreſſo interpreti *Inſuantus* dixit,

(a) *cap. præt. nu. 2.* (b) *livrée*

xit, Religioſis eorumque comitibus ſignificaret, ſi de negotijs, ob quæ venerant, agere ſecum vellent, non alio ſe ritu & cæremoniâ, quàm quâ illius Provinciæ præcipui eum accedebant, hoc eſt, flexorum genuum, id permiſſurum: quam ſi exteri recuſarent, ad hoſpitium reverterentur, donec aliud Pro-rex *Aucheenſis* (a) imperaſſet.

3. His per interpretem ad Hiſpanos relatis non leviter inter Auguſtinianos & milites diſceptatum fuit, his indignam Regis, cujus nomine veniebant, dignitate cæremoniam rejicientibus, illis contranitentibus „ eſſe admittendam; non Deum per eam, non Regem „ ſuum lædi, non veniſſe ſe ab ipſo Rege ſed à Manilæ „ Præfecto miſſos, quo nihil indignum admitteretur „ ſi peregrini ſervarent, quod fieri conſueviſſet ab e- „ juſdem qualitatis indigenis: hos humani honoris „ apices, ubi promovendæ gloriæ divinæ tàm proba- „ bilis ſpes apparebat, eſſe contemnendos: diſpoſuiſſe „ fortè Deum humilitatis amatorem hac ſubmiſsio- „ ne remedium libertatemque captivatis miſerè ſub „ ſuperbiſsimi dæmonis jugo animabus adferre: Al- „ tare, quod ante oculos ornatum ardebat, inſpice- „ rent, & debitum Vni ſolique Deo honorem idolis „ impiè deferri indignarentur, qui ut ab injuſtis occu- „ patoribus ablatus Supremo Numini reſtitui poſsit:

(a) *de Aucheo.*

„negligendum eſſe quidquid pro re inaniſsima hu-
„mana inflatio ſuggeſsit. Hac oratione evicerunt à militibus Auguſtiniani, ut ad *Inſuantum* remitteretur interpres, diceretque exteros, ſi aliter de maximis negotijs, ob quæ tam longa ac difficilia itinera erant emenſi, conventum obtinere non poſſent, ritu & conſuetudine Chinenſium acceſſuros.

CAPVT XVIII.

Audiuntur ab Inſuanto Chincheenſi, illique literas, quas ex Inſulis Philippinis attulerant, porrigunt.

1. HÆc cùm *Inſuanto* interpres retuliſſet, eodem momento miſit qui illos ex atrio in aulam, in qua ipſe erat, vocaret duceretque. Pȯterat certè illa magnitudine ſuâ opulentiâque ſpectatores rapere in admirationem. Hiſpani ex atrio, in quo fuerant, per aream, quâ intraverant, aliud ſimile priori atrium ingreſſi obſervârunt in eo milites plurimos ditiſsimè veſtitos; qui & ordine & armis diſpoſiti veluti plateam confecerant. Stabant juxtà illos fuſtigeri ac ſatellites diverſa quidem inſignia geſtantes, omnes tamen largis ex ſerico tunicis auro acupictis amicti, quorum capita galeæ ornabant, quorumdam argenteæ, aliorum ſtan-

ſtanneæ deauratæ, grato ſanè fulgore. Longa illis & nigredine tincta cæſaries in humeros defluebat. Ex hoc in porticum aulæ *Inſuanti* proximam promoventes varia audierunt inſtrumenta eâ ſuavitate conſonantia, ut omnis ante percepta muſica ſuperaretur, augereturque ſtupor ab ethnicâ majeſtate incuſſus. Ex porticu, finitâ muſicâ in aulam admiſsi, Auditorem, qui in platea occurrerat, (a) cũ duobus ejus comitibus conſpexerunt capite nudo abſque ullis dignitatis inſignibus ſtantes, ritu per totum iſtud regnum uſitato, quandocumque inferiori adeſt ſuperior. Qui ſigno dato, ut genua Hiſpani flecterent, innuerunt. *Inſuantus* ſublimi throno ſub divite cælo conſederat eâ majeſtate, ut Rex ipſe credi potuiſſet. Externum apparatum corporis pulchritudine habituque, quibus omnes quos in Chinenſi Regno viderunt Hiſpani, ſuperabat, mirificè decorabat. Serenitate vultûs verbiſque per interpretem datis teſtari voluit, quàm grati quantâque ſuâ lætitiâ adveniſſent, juſſitq; Auguſtinianorum ac militum ſociorum humeris duos injici ex ſerico pannos in crucem velut ſtolam ſacerdotalem diductos, addens ſingulis unum ex argento ſertum. Eiſdem muneribus *Omonconem* & *Sinſayum* donavit; famulos verò omnes pictis ex goſſypio pallijs, quo ritu Chinenſes

(a) *Cap. præced.*

nentes heroica ſuorum facta diximus (a) conſueviſſe remunerare.

2. Hîc Auguſtiniani opportunè literas à Præfecto Manilenſi & Mariſcallo acceptas *Inſuanto* porrigunt, offeruntque eorumdem nomine munera, eorum parvitatem anguſtiâ temporis & feſtinatione excuſantes, futurum aliquando, ſi pax inter eos ſolidaque amicitia coaluiſſet, ut tribuantur, quæ nec Chinenſi opulentiâ, nec poteſtate Hiſpanâ ſint indigna. Actis humaniter gratijs, ut ſurgerent, ſignum dedit, irentque ad quietem in ædibus deſignatis capeſſendam. Ædes inſtrui copioſiſſimè *Inſuantus* curaverat. Priuſquam tamen è palatio egrederentur, eos Centurio cohortis cuſtodis *Inſuanti* in domicilium, quod in ipſo palatio habebat, invitavit, libatiſque in eo, quæ propoſuerat, ferculis, ad hoſpitium paratum comitantibus multis nobilibus deduxit; cohortem militum, quæ die noctuque excubias ageret pro dignitatis magis teſtimonio quàm ad ſecuritatem neceſſitate attribuit œconomum, qui omnia, quæ opus haberent, abundantiſſimè nullo accepto pretio miniſtraret, (ita *Inſuantus* mandaverat) ordinavit.

CA-

(a) *cap.* 13. *nu.* 5.

CAPVT XIX.

Viſitant Hiſpanos præcipui Chincheenſium: Inſuantus Petrum Sarmiento & Michaëlem de Loarcha ad ſe vocat, inquiritque ſtudioſè de Limahone.

1. ALterâ die (Dominica erat & menſis Iulij duodecima) præcipui nobilium, qui in civitate *Chincheenſi* morabantur, exteros inviſerunt multis cæremonijs & prolixis orationibus obſequia offerentes, promittenteſque non verba, ſed effectus daturos quotieſcumque occaſio poſtulaſſet. Impediti per famulos adventui gratulatum miſerunt, interrogatumque ſi incolumes appuliſſent, quid ipſis de civitate, quid de regno videretur. Conati ſunt Hiſpani ne urbanitate ſeu morum, ſeu verborum vincerentur, in quod tantò ſtudioſiùs ipſis erat incumbendum, quòd experirentur admirarenturque Chinenſium ritus optimè inſtitutos, & ornatum, ſeu interrogarent, ſeu reſſponderent, ſermonem. Omne matutinum veſpertinumque his exactum eſt tempus.

2. Die rurſum ſequenti *Inſuantus* miſſo nuntio Auguſtinianis ut quieſcerẽt, militibus Petro Sarmiento & Michaëli de Loarcha ut ad ſe venirent non adducto

interprete, ſignificare juſſit. Credebat *Inſuantus* ſuperfluè venturum cum illis interpretem, quòd Chinenſem apud ſe haberet Inſularum Philippinarum idioma callentem, quod tamen pronuntiavit adeò imperfectè, ut nihil tractari ſerij potuerit. Eâdem quidem, quâ die præcedenti, majeſtate advenientes admiſit, ſed minori rituum ambitione. Nam inſigni affabilitate de Auguſtinianorum ſanitate, de quiete quam ipſi poſt tot labores cepiſſent, de opinione quam nunc de regno Chinenſi formaſſent, ſimilibuſque rebus ſciſcitanti cum Hiſpani reſpondiſſent, ſermonem ad *Limahonem* deflexit, non contentus narratione, quamquàm minutiſſimâ, *Omonconis* & *Sinſayi*, ratus, uti erat homo acris ingenij, fieri poſſe, ut alia ab his aliove modo facta audiret. Nec eum opinio fefellit, nam illi in ſua commoda intenti totam de *Limahone* gloriam ſibi adſcripſerant, quæ reverà Hiſpanis debebatur. Cùm nondum aut mortuum aut captum, ſed obſeſſum dumtaxat *Limahonem Inſuantus* audivit, oblatis navibus quingentis, &, ſi vellent, pluribus, nautiſque ac militibus neceſſarijs inducere eos voluit, ut *Pangaſinan*, ubi *Limahon* cingebatur, reverterentur. Verùm ſufficere Mariſcallum aut captivitati aut cædi *Limahonis* Hiſpani dixerunt, atque alterutrum factum fore priuſquàm illuc ipſi appellere poſſent: præ-

tereà

tereà Inſulas Philippinas minus commeatûs habere quàm ut ingens iſte exercitus ſuſtentari diu eo poſſit. Hæc dicentibus *Inſuantus* acquievit, interpretemque, qui ad aulæ portas juſſus erat remanere, intrare fecit, ut pleniùs, quæ vellet, utroque interprete præſente indagaret. At verò eâdem opportunitate uſi Hiſpani præcedentis diei cõtroverſiam inter Religioſos & ſe ſuper ritu genuflexionis ortam illi aperuerunt allatis non paucis rationibus, quibus contendebant non faciendum ab exteris, Religioſis præſertim, qui præcipui Legati erant, quoſque ipſe Hiſpaniarum Rex, ob quodcumque negotium accederent, non pateretur iſto ritu ſe convenire; Sacerdotes eſſe & miniſtros Dei, quem venerabatur adorabatque. Ad quæ, *non aliam veſtri*, alacer ait, *primo conventu notitiam, præter eam, quam Omoncon mihi dedit, habui, ſcilicet Hiſpanos vos eſſe. Nondum enim aut Præfecti Manilenſis aut Mariſcalli literas legeram, aut Regni Regiſque veſtri conſuetudinem ex quoquam didiceram. Quam obſervari heri volui, noſtra eſt, nullius perſonæ exceptione uſitata, quæ ſi dura vobis fuit, rigori id tribuetis legis noſtræ & ignorantiæ ritus veſtri. Iſtis hactenus à me peccatũ fuit. Quotieſcumque verò in poſterum aut ſpõte veſtrâ aut vocati ad me accedetis, more id facite patriæ veſtræ, noſtrum rursùm, cùm ad Pro-regem veneritis ſervaturi, niſi conſtet ab ipſo vos Rege immediatè miſſos.* His feſtivè dictis dimiſſi ad Au-

guſtinianos redierunt continuis Chinenſium viſitationibus laſſatos, anhelanteſque cognoſcere quid tam longis cum *Inſuanto* ſermonibus tractaſſent. Inviolatæ inter Chinenſes conſuetudinis rigorem cum exteris remiſſum non minori milites aviditate narrârunt, quàm audiverunt Auguſtiniani voluptate, gratias agentes Deo, plenique fiduciâ ſucceſſuri optimè conatûs, qui tam feliciter cœpiſſet.

CAPVT XX.

Inſuantus convivium inſtruit Hiſpanis, monetque ut ad craſtini diei iter ſe præparent, expectari illos à Pro-rege Aucheenſi. (a)

1. Die Iulij decimâ quartâ unum ex nobilibus ſuis *Inſuantus* ad Hiſpanorum hoſpitium ire juſſit, ſciſcitaturum ſi aptæ eſſent ad quietem ædes, ſi commoda ſupellex, ſi alimenta, prout decebat ipſeque mandaverat miniſtrarentur; ſi quid in civitate regnove eſſet, cujus deſiderio tenerentur, edicerent, ſe nullâ morâ curaturum; hoc animi in illos propenſionem ex ſuavi eorum converſatione contractam, hoc obſequium Regi ſuo in *Limahonis* perſecutione præſtitum poſtulare. Eidem Nobili commiſſum, ad convivium ſequen-

(a) De Aucheo.

ſequentis diei ut illos invitaret. Reſponderunt, in ædium & ſupellectilis commoditate, in ciborum abundantia ſpem ſuam ejus benevolentiâ longè fuiſſe ſuperatam: ſe verò convivij favore fruituros.

2. Venientes ad convivium duxerunt in atrium inferius ad ſecundæ areæ latus, in quo plurimæ ſedes & menſæ diſpoſitæ videbantur. Menſas cæli holoſerici tegebant, & cingebant fimbriæ variè pictas, at nullâ mappâ ſtratas, mapparum enim in China nullum eſſe uſum in prima parte diximus. [a] Auguſtinianis ſingulis ſeptem ſunt menſæ attributæ ad quarum unam aſſidebant, ſex reliquæ in circulum diſpoſitæ eidem jungebantur. Simili modo quilibet miles Hiſpanus quinque menſas habebat, & juxta illos tres Centuriones Chinenſes, quorum ſingulis non ampliùs menſæ tres adſignabantur, more patrio honoris, quem invitatis exhibent, inæqualitatem numero menſarum diſcernentes. Menſarum circulus ingens in medio ſpatium reliquerat, in quo comœdia non invenuſtè repræſentabatur aliquamdiu ultrà convivij finem protracta, cujus ſpectandæ commoditatem orbicularis ſpectatorum conſeſſio augebat. Muſico prætereà cantu & inſtrumentorum luſu aures mulcebantur vario optimoque. In prima earum, quæ ſingulis conſtitutæ erant, menſa paſtilli erant ſaccarum-

(a) *Lib. 3. cap. 18.*

que in diverſas formas caſtellorum, poculorum, ollarum, paropſidum, canum, taurorum, elephantum, ſimiliumque rerum, compoſitum & deauratum: omnia caniſtris ex aureis argenteiſque filis intertextis imponebantur. In eandem cibi cocti inferebantur eâ abundantiâ, ut nonnunquam numerum quinquageſimum patinæ ſuperarent, omnes magnâ curioſitate condîti. Reliquas menſas lances caponibus, gallinis, anſeribus, anatibus, pernis, alijſque carnis generibus oppletæ occupabant. Vina infundebantur varia ex palma expreſſa, paria his quæ dant uvæ. Ad quatuor horas epulum protrahebatur, pro ciborum multitudine & varietate ad octo protrahendum & potentiſſimo totius mundi Principe dignum. Nec minùs ſplendidè in alia aula famuli mancipiaque Hiſpanorum excipiebantur. Finito epulo omnes *Inſuantus* vocavit, multa non minus curioſè quàm humaniter rogitans, & ut ſtantes tectique caput loquerentur indulgens. Tandemque, *Prorex*, inquit, *Aucheenſis magno vos deſiderio operitur, præcepitque ne ullâ morâ tardarem. Ibitis ergo die craſtinâ hilares, quòd illum brevi ſitis viſuri, qui benigno vos animo complectetur, cuique, cùm Regi ſit chariſſimus, itineris veſtri cauſam ac omnia quæ voletis utiliſſimè narrabitis.* Atque ita magnâ benevolentiæ, cui more Hiſpano noſtri reſpondebant, teſtificatione illos dimiſit. Ad atrij veſtibulum

bulum Centuriones, qui cum illis epulo interfuerant plurimiq; nobiles expectabãt, exteros ad ſuum hoſpitium comitaturi. Euntibus omnes aliarum menſarum cibos crudos multi famuli preferebãt, intactis prorſus omnibus, quę in prima, in qua comederant, menſa ſtabant, Chinenſiũ more ita majeſtati omnium ſuorum conviviorum ſerviente. In hoſpitio munus invenerunt ab *Inſuanto* miſſum quatuor ex ſerico pro ſingulis pannos, armariola, ſimiliaque, & picta pro famulis & mancipijs pallia: ac liberi à comitatu Chinenſium reliquo tempore ad ſequentis diei iter ſe læti præparârunt.

CAPVT XXI.

Chincheo diſcedunt Aucheum ([a]) *ubi eos Pro-rex expectabat.*

1. VIx noctis tenebras purpurea aurora diſpulerat, nondum è ſtratis Hiſpani ſurrexerant, cùm omnia, quæ ad iter requirebantur, in domum erant allata aut adducta. Stabant parati equi, ſellæ geſtatoriæ, &, qui eos ferrent, homines certatim ſe oneri ſubjicere geſtientes. Aderat etiam cum ſuis militibus Centurio, qui eos hactenus duxerat, cuſtodierat-

(a) *de Aucheo.*

que.

que. Gaudentes igitur iter arripiunt, & conveniendi Pro-regem, apud quem ſui in Chinam adventûs cauſas tractarent, deſiderio, & faſtidio accurrentis multitudinis; quæ ne nocte quidem à ſtudio videndi exteros abſtinebat, tumultu ſuo illorum inimica quieti. Vulgato verò diſceſsûs rumore tam frequentes plateas occupârunt, ut præeuntes lictores vix tandem tranſitum feriendo fuſtibus aperirent, veſperque priuſquã ſe è civitate extricarent, incũberet: quæ cauſa fuit ut non ultra primum & vicinũ pagũ promovere iter potuerint. Ibi alibique ſeptem dierum, quos inter *Chincheum* & *Aucheum* conſumpſerunt, ſpatio & hoſpitia adſignata & inſtructas menſas juſſu *Inſuanti* gratis invenêre. Nam præcedens ubique curſor tabulas ingentes ferebat, quibus quales eſſent, unde veniſſent, & mandatum omnia copiosè ſumptibus Regijs miniſtrandi exprimebatur, ideoque neque in ipſis vijs accurrentium moleſtiæ deſinebant. Tertiâ die ad civitatem *Megoa* Præfecturæ caput pervenerunt. Hæc quadraginta civium millibus habitabatur, magnâ tunc ſui parte deſtructa. Id Iapones ab annis retrò triginta, ut ſe de accepto olim gravamine vindicarent, fecerant aſtutiâ magis quàm potentiâ. Etenim quinquaginta Iapones mentito Chinenſium habitu trium Chinenſium (qui poſteà Manilæ vixerunt Chriſtiani)

ni) ducatu in ipſam civitatem militibus portarum cuſtodibus nullâ hoſtium ſuſpicione, ideoque projectis neglectim armis, ſecuris, nullo ſui periculo penetrârunt. Hos bis mille ſequebantur inſolito loco in terram è navibus occultè expoſiti, qui cum portæ appropinquarent à nullis quàm Iaponibus qui prævenerant, detecti, animos ſocijs addiderunt, ut veros ſe Iapones oſtenderent. Qui eductis, quæ ſub veſtibus abſconderant, armis magno & ſubito impetu imparatas vigilias nullo damno accepto trucidârunt, admiſſiſque in civitatem ſocijs aucti conſtitutâ ad portam cuſtodiâ victoriam proſequentes nemine ex ſuis deſiderato occupârunt civitatem, quæ non priùs inimicum quàm perniciem ſenſit. Quâ famâ ad Pro-regem *Aucheenſem* perlatâ ipſe congregatis ſexaginta militum millibus ſtatuit illatam ignominiam cæde omnium ad unum uſque Iaponum ulciſci. At hi & numero ſuo & ſuppetiarũ ſpe diffiſi, redactâ in ruinã majori civitatis parte acceptiſque ſpolijs ad naves, quas firmo præſidio munierant, noctu pervolârunt, Pro-regi deſolatæ civitatis ſpectaculum potiùs quàm vindictæ copiam relinquentes, quam recenti, quaſi heri allatum damnum eſſet, memoriâ ſpirabant.

2. In hac civitate Regiæ advenis ædes maximæ & pulcherrimæ ad quietem datæ, cœna non ſine luxu

inſtructa. Ante omnia verò Petrus Sarmiento & Michael de Loarcha, Auguſtinianis domi quieſcentibus, Præfectum viſerunt Hiſpano in ſalutationibus more uſi; quos læto animo admiſit ipſe viditque. Vix ad ædes Regias ſocioſque Auguſtinianos redierant, cùm Præfectus viſitationem reddidit, miſſo ad id *Tyu*, id eſt, Conſiliario maximè antiquo omnia obſequia benevolè offerente, duos inſuper Petro Sarmiento, totidemque Michaeli de Loarcha ex ſerico pannos.

5. Hinc *Aucheum* euntibus non longè à civitate *Megoa* ingens flumen occurrit ponte lapideo, quo hactenus non viderant majorem, ſtratum. In eum admiratione defixi, ne illius relatió tabulis deeſſet, aut relationi veritas, metiri voluerunt. Latitudo pontis erat mille trecentorum pedum: minimus ejus lapis latitudine pedes octodecim, craſſitie octo complectebatur, ut impoſſibile videretur arte humanâ tam ingentes moles potuiſſe transferri, maximè cum omnia in circuitu circumſpicientibus plana apparerent, nullique, ex quibus erui potuiſſent, occurrerent oculis montes, certo apud illos, quòd è longinquo adferri debuerint, indicio. Ab hoc ponte via ſe aperiebat largiſſima, plana & lapidibus ſtrata, ab utroque latere pluribus tabernis commoda, tantoque itinerantium numero occupata, qualem in plateis populoſæ civi-

civitatis mireris. Vtrimque etiam agri videbantur orizâ, tritico alijſque ſeminum generibus lætiſſimi. Cùm ad *Auchei* ſuburbia perveniſſent, Pro-rex, quæ fieri vellet, nunciari juſſit, quæ prolixiùs ſequenti capite exequemur.

CAPVT XXII.

Hiſpanorum in civitatem Aucheenſem introitus & receptio.

1. MEdiæ leucæ iter in ſuburbio civitatis *Aucheenſis* confecerant, cùm illis nuntius occurrit à Pro-rege miſſus, monſtranſque in eòdem ſuburbio ædes, in quibus noctem illam exigerent. Diem ajebat nunc eſſe inclinatam, ædes in ipſa civitate paratas longè abeſſe, pleroſque impotenti exterorum, quorum adventum per totum ferè regnum fama publicârat, deſiderio teneri; majori venerationi futuros, ſi deſtinatâ à Pro-rege pompâ, ſpectante eam populo, ingrederentur, iſtud fore eorum dignitati congruentius. Vix è ſellis geſtatorijs & equis deſcenderant, cùm nobilis nomine Pro-regis felicia fauſtaque omnia eorum ingreſſui precatur, quærens de eorum incolumitate, de rerum neceſſariarum conſuetudine, quas copiosè

pioſè juſſerat Pro rex miniſtrari. Iis debitè ordinatis non abſimilia his, quæ nuntius dixerat, repetebat. Hunc Centuriones nunnulli ſecuti ſunt, quorum famuli in calathis magno artificio contextis & vaſibus porcelanis deauratis ſaccarum, intritas, fructus, vinum ferebant, conſuetudine Chinenſium in mutuis viſitationibus obſervatâ. Secundâ quoque ab eorum adventu horâ adfuit alius Pro-regis miniſter, quem plurimi comitabantur caponibus, gallinis, anſeribus, anatibus, pernis porcinis, & varijs intritarum generibus onuſti eâ copiâ, quæ cœnæ centum hominum & alterius diei epulo ſuffeciſſet.

2. Sequentis diei ſummo mane ad eorum hoſpitium veniunt multi à Pro-rege miſſi apportantes duas pro PP. Auguſtinianis ſedes ditiſſimè ornatas, quarum cortinas, ne quid ſpectatorum curioſitati demerent, in altum religaverant, adducenteſque optimos pro Patrum comitibus equos ephippijs Chinenſibus ſtratos. Hi, ne tardarent ire in civitatem, Hiſpanos invitabant. Nec tardârunt illi: non tamen ante ſeſquihoram ad portam civitatis pervenerunt, ut ſibi in ſolo ſuburbio duo miliaria confeciſſe viderentur. Populi multitudo, ædificiorum ſplendor, extructæ ad merces porticus (a) ſpeciem illis non ſuburbiorum, ſed veræ & pulcherrimæ civitatis exhibebant, credidiſ-

(a) *cap.16. nu.2.*

ſentque

ſentque eſſe, niſi aliter à Chinenſibus edocti. Antequam ad civitatē pervenirent, tertiò magnum fluvium tribus in iſta via pontibus ſtratum, eâ altitudine ut maximas ſub ſe naves dimiſſis malis admitterent, tranſiverunt. Eſt autem civitas iſta rerum ad victum neceſſariarum divitiarumque abundantiâ cum præcipuis regni comparanda. Abundantiam faciunt Provinciæ, cujus caput eſt, ſumma fertilitas, ingens in ea pagorum numerus, maris, quod non ampliùs octo abeſt miliaribus, vicinitas, & fluviorum naviumque opportunitas.

3. Ad ipſam civitatis portam plurimi nobiles eos opperiebantur, qui impensâ advenis more ſuo ſalutatione, & receptâ more patrio ab Hiſpanis, eos per ampliſſimam plateam ad Pro-regis palatium ducunt. Vtrumque plateæ, à porta ad palatium uſque, latus milites in longitudine ſepſerant, interjectum ſpatium ſolis Hiſpanis & nobilibus Chinenſibus, qui comitabantur, rigidiſſimè ſervantes, in cæteris immoti. Militibus ſui aderant officiales, erecta vexilla: arma illis erant lanceæ, ſclopeta, ſcuta, & criſtatæ plumis caſſides; veſtis omnibus ex ſerico eadem, dives & ſumptuoſa. Feneſtras ſpatiumque omne poſt militum terga relictum tantâ multitudine populus occupabat, ut ſupremi judicij diem quis arbitrari potuiſſet. Hora e-

ſtat poſt meridiem ſecunda, cùm ventum eſt ad palatium, ibique cum noſtris nobiles Chinenſes in loco ſeparato ſubſtiterunt, donec conſuetum alloquij tempus adveniſſet. Hoc tempus ut plurimùm quotidie datur, neque aliàs, aut diutiùs portæ palatij patent; non aperiuntur unquàm niſi præviâ quatuor majorum tormentorum exploſione & muſico tubarum tympanorumque ſonitu, ut ſingulorum dierum, quibus *Auchei* fuerunt, experimento & aliorum inſuper relatu noſtri didicerunt. Dum horâ tumultuque conſuetis reſeratæ portæ intrandi poteſtatem feciſſent, viſi ſunt in area palatij milites eodem ordine ſimilibuſque veſtibus, quibus in platea alij ſteterant. Inter illos medius frequenti comitatu nobilis prodibat, quem Centurionem ajebant cohortis pro-regiæ. Prodibat autem inceſſu gravi & magnifico, pergens ubi noſtri conſtiterant, & geſtibus humanitatis utrimque more patrio factis ſignum dedit, ut ad palatij portam accederent. Per quam cùm in primam aream magnam altiſque columnis decoram intraſſent, aliam obſervârunt eamque non exiguam militum & ſatellitum manum, à quibus per ſecundam aream in cochleam, in qua magno ſilentio ſubſtiterunt, ductos ſolus Centurio ad portam aulæ, in qua Pro-rex erat, fuit comitatus, qui in ipſa porta caput detegens, idem

ut

ut facerent, noſtris indicium fecit, expectarentque donec Pro-regi eorum adventum nuntiaſſet.

CAPVT XXIII.

Audiuntur à Pro-rege, nonnullos præcipuos miniſtros viſitant.

1. EGreſſus mox aliquis ſtaturâ egregius & largâ tunicâ indutus noſtros, ſi Pro-regem convenire vellent, interrogavit. Quibus annuentibus, ex qua patria, cujus mandato in Chinam veniſſent, quæſivit. Reddiderunt autẽ noſtri ſe à Manilæ Præfecto, illius Regis, quo nõ majorem Chriſtianus orbis agnoſcit, miſſos. Quibus auditis introgreſſus ac paulò poſt ingrediendi facultatem dedit, ſcirent tamen Pro-regem in iſta conſediſſe aula, fas non eſſe niſi genuflexis eum alloqui, hoc perpetuò fore ſervandum, niſi aliter ipſe imperaret. Facultatem alloquij hâc lege eſſe conceſſam, quam ſi ſervare detrectarent, recederent. Ritum jam non amplius novum & anteà diſputatum (a) nullâ hîc contradictione admiſerunt. Quare illos introduxit monitos ut ad ſe animadverterent, ſe ſigno indicaturum, quid facto quolibet tempore opus eſſet, proinde rituum magiſtrum noſtri arbi-

(a) Cap. 17. nu. 3.

arbitrati ſunt. Intrantes igitur in genua provolvuntur è regione ſolij in quo Pro rex poſitâ ante ſe menſâ conſederat eâ obſcuritate ut difficulter videri facies poſſet. Vtrimque latus nonnulli cinxerant, omnes in genua proſtrati: hinc manibus ſceptra geſtabant; illinc aureos arcus, rejectis in humeros pharetris aureis, aureos induti thoraces ſquammis ad ſuras uſq; pẽdulis. Ante Pro-regẽ in menſa charta omniaq; ad ſcribendum neceſſaria collocata erant, (ſine quo ritu nullum unquam publicè alloquium datur) ad latus Leo ex ligno nigro, illius Provinciæ, ut poſtea ſciverunt, inſigne. Indicio manu Pro-regis, ut propiùs accederent, accepto, paruerunt; ita non procul à menſa genuflexi per interpretẽ ſuum quam ob cauſam & cujus legati venirent, aperire incipiunt: Pro-rex verò, ut ſurgerent, ſignificavit. Quo favore alacriores factos & inceptam à ſe narrationem proſequi ſatagentes interrogatione, ſi literas ad Regem, ad quem pergere ſe dicebant attuliſſent, Pro-rex interrupit, negantesque, præviâ fortunati adventûs apprecatione, ad ædes paratas quieturos dimiſit, fore dictitans ut commodiore conventu negotia inter ſe mutuo tractarent: Regem longiùs abeſſe quàm ut brevi tempore pertingere ad eum poſſent, ſe illi occaſionem cauſaſque eorum in Regnum Chinenſe introitûs ſcripturum

turum, ſignificaturumque ipſis quidquid Rex fieri imperaſſet. Tùm acceptis ab Hiſpanis literis & munerum, quæ ferebant, ſyngraphâ, in humeros Patrum Auguſtinianorum ſex ex ſerico pannos ſtolæ ſacerdotalis in modum ante & retrò diductos injici juſſit, militibus Hiſpanis, *Omonconi* & *Sinſayo* quatuor ſingulis; famulis duos: ſingulis item Auguſtinianis, dictis militibus, *Omonconi Sinſayoque* duo ex argento ſerta in egregiorum factorum teſtimonium [a] largitus. His muneribus donati argentea ſerta manibus geſtantes per eoſdem gradus, eandem aream, per eandem portam, quam poſt tergum eodem quo aperta fuerat tumultu, claudi audiverunt, dimittuntur.

2. Inde digreſſi *Omonconis* & *Sinſayi* in propria commoda utilitateſque intentorum rogatu ad ædes *Totoc* (quo nomine eum qui toti præeſt exercitui appellant) & junctas præcedentibus *Cognitoc*, id eſt, primi Vexilliferi, utraſque ſpatioſas & inſignes, deflectunt. Eandem apud utrumque majeſtatis ſpeciem, velut ſublimiorem conſeſſum, poſitam ante illos menſam, genuflexos armatoſque ad utrumque latus milites, ſed minus, quàm apud Pro-regem, humanitatis invenerunt, quòd ille ſurgere proſtratos juſſiſſet, hi proſtratos tenuiſſent. Quare citò abeundi indicium Hiſpani dedêre, non animo tantùm ſed & verbis adverſus

(a) *Cap.* 13. *nu* 5. *& cap.* 18. *nu.* 1.

ſus *Omonconem* & *Sinſayum* indignati, quorum ductu illuc deflexiſſent. Meminiſſe illos inquiebant debuiſſe quantâ à Præfecto Manilenſi Philippinas Inſulas nomine Regis totius Orbis maximi adminiſtrante differentiâ fuiſſent excepti, cùm illi mercatorum conditionem aut non, aut vix ſuperarent, à quibus nihil ad ſua negotia favoris ſperare poterant. Ita irritati ire ad alios aulæ Miniſtros, neglectis *Omonconis Sinſayique* precibus, recuſarunt, latoribus & ductoribus indicantes, ut rectà ædes, in quibus hoſpitabantur, redirent, cibo ſe velle & quiete reficere. Ædes maximæ erant & Regiæ in quibus ordinarij fiebant Regiorum Conſiliariorum conventus. Illuc prælata ſua impedimenta invenerunt & menſas non minori abundantiâ quàm delitijs inſtructas. Ornatus ædium quaſi ipſi Regi paratus: famulitium frequens, militeſque ad excubias noctu diuque. Duas portis tabulas Pro-rex præfigi juſſerat: tabulæ exprimebant hoſpitum patriam & conditionem, à quo Rege & ad quid miſſi eſſent. Caverent proinde omnes minimum illis moleſtiæ inferre, niſi plecti ſeveriſſimis pœnis vellent. Nullibi magis ab inquietudine concurrentis multitudinis comite liberi fuerunt, miniſtris aulæ mandato Pro-regis id ſedulò ſatagentibus, quamquàm nulla eſſet in illa Provincia civitas aut major, aut populoſior,

ſior, & à pauciſſimis totius Regni ſuperaretur. Civitatem certè *Taybin* quam alijs nominibus *Suntiem* & *Paquin* appellant, ordinariam Regis ſedem ajunt trecentis civium millibus habitari. Et multò hâc major *Lanchin* nomine ampliùs milliaria ſeptuaginta circuitu complectitur, & tridui à porta ad portam iter. Rem ferè incredibilem Europæis perſuadere debet, quòd, cùm non longè à civitate *Canton*, in qua conceſſa eſt Luſitanis mercatura, abſit, non difficile ſit certam ejus notitiam conſequi; & ita eſſe Luſitani fide digniſſimi ac Religioſi Societatis Ieſu aſſeruerint.

3. Verùm nunc *Auchei* ſumus. Hanc cingit lapideus murus latus pedes viginti quatuor, altus triginta (a) prout eum noſtri, quod ex ſuis ædibus in eum per poſticam exitus pateret, non ſemel menſi ſunt. Nullo cæmento, ſed ſola lapidum aptâ collocatione cohæret, ideoque contra pluviarum detrimenta totum tecto defendunt. Caſtrum non habet *Aucheum*, neque ullus eorum eſt in Regno Chinenſi uſus, civitatum fortitudinem ex portis æſtimante, & duobus latiſſimis muris, intrà quos diurnæ nocturnæque excubiæ ſunt, illàs muniente. Portis plurima tormenta bellica imponunt, non tamen æqualis cum Europæis bonitatis. Aſſeverabant autem Chinenſes eſſe in non-

 nullis

(a) *Quatro Bracas de ancho, cinco de alto. Braca eſt menſura ſex pedum.*

nullis locis admodùm curioſa, quæ non viderunt noſtri. Totum muri circuitum frequentes ſpeculæ occupabant, quælibet autem ſpecula ſua armamenta habet ac inſcriptum militis, cui illuc concurrere neceſſitate premente incumbit, nomen. Ad ſingulos centenos paſſus capacia ſunt ædificia, in quibus toto neceſſitatis tempore vivunt Centuriones. Murum in circuitu duæ ampliſſimæ muniunt foſſæ, quas pro arbitrio acceptâ per canales ex fluvio aquâ intumidant: ex his rurſum pleriſque civitatis domibus, &,quæ ordinariè omnes habent domus, ſtagnis ad piſcium nutrimentum aquas miniſtrantes. In magna planitie ſitam civitatem undique montes ambiunt, ideoque inſalubri eſſe intemperie incolæ ajunt. Non raró tota creſcente in hieme fluuio innundatur, ingenti ejus damno, quod anno præcedenti illatum etiam-tùm noſtri conſpexerunt.

4. Ad propoſitum ut redeamus: in ædibus iſtis regijs regièque ornatis,quanto tempore *Auchei* hæſerunt, hoſpitati ſunt, continuis nobilium viſitationibus & delitijs honorati, inter quos ipſe eminuit Pro-rex famoſo ſequentis diei convivio ipſis inſtructo, quod ſequens caput exhibebit.

CA-

CAPVT XXIV.

Pro-rex celebri convivio duobus continuis diebus Noſtros excipit.

1. ALterâ ab adventu noſtrorum in civitatem *Aucheenſem* die eos Pro-rex ad convivium invitavit in ſuis ædibus inſtructum modo ſequenti. Ab ipſis palatij portis ab occurrentibus magno numero ex Pro-regis familia nobilibus inſigni muſicâ & lætitiæ oſtentatione ad primam aream inducuntur, inde in aulam magnificentiſſimè inſtructam, & poſitis plurimis menſis eo ordine, quem in convivio Præfecti *Chincheenſis* deſcripſimus, (a) majori tamẽ earum numero & apparatu. Ibi adveniunt duo præcipui Centuriones, qui nomine Pro-regis hoſpitibus adeſſent exciperentque, conſuetudine Chinenſi, ut præſens ſit præcipuus invitans, non permittente. Cùm his humanitatis officijs certatum eſt exactumque jucundâ converſatione tempus donec cibi inferrentur. Tunc illi priuſquam conſideretur, acceptos crateres vino plenos in loco aulæ ex quo intueri cælum poterant, Soli, Sanctiſque cæli incolis libaverunt variâ precatione, præcipuè verò ut novis hoſpitibus propitiaren-

(a) *Cap.* 20.

tiarentur, & amicitiæ, ad quam contrahendam venerant, faverent. Finitis orationibus utroſque in terram inſigni cæremoniâ effuderunt, rurſumque vino repletos factâ ſingulis hoſpitibus reverentiâ ſtatuerunt in menſis ad quas Auguſtiniani pranſuri erant. Hoſpitibus conſidentibus, ipſi ad ſeparatas ſinguli menſas, nec æquali cum hoſpitum mēſis numero nec ferculis paribus. Famoſus convivij ſplendor *Chincheenſe* longè ſuperavit, nec prius finitum fuit quàm veſper incubuiſſet, quòd muſicâ chelibus & quiternis (ita claritatis causâ appellare placet) ludiorū etiā facetijs jucundiſſimè cōdiverāt. Invitatos finitis menſis dicti Centuriones comitati ſunt, rogantes ut ſequēti die in eandem aulam ad alterum convivium convenirent.

2. Fuit illud præcedenti multò magnificentius, cui ipſe *Totoc*, quem noſtri in proprijs ædibus viſitaverant (a) magnâ majeſtate interfuit, Centuriones item duo diei proximè elapſi. Huic convivio multa rurſum muſica interludebat. Addita erat comœdia. Funambulus item varijs motibus ſaltibuſque ſive in aëre ſive in baculo duorum hominum humeris innixo dexterrimè ſpectatores recreabat. Comœdiæ, antequam inciperetur, argumentum per interpretem noſtris, ut amæniùs audiretur, explicârunt. Eratque tale. Fuerant à multis retrò annis homines maximi fortiſſimique,

(a) *Cap. præc. nu. 2.*

que, reliquos tamen mole & robore excedebant, tres germani fratres, quorum unus candidus erat, alter rubeus, tertius niger. Rubeus autem alijs ingenio præpollens ſtatuit candido fratri regnum, concurrente in eandem ſententiam nigro, procurare. Illud tenebat id temporis *Laupicono* vir muliere corruptior, quem junctis viribus fratres expulerunt. Hoc argumentum comœdiæ, quam perfectiſſimè & veſtibus perſonæ aptatis exhibuerunt. Convivio comœdiâque peractis noſtri diſceſſerunt, comitantibus eos ad palatij portas duobus illis Centurionibus, reliquis verò ad ipſum eos hoſpitium deducentibus, quod perpetes excubiæ juſſu Pro-regis ſervabant.

CAPUT XXV.

Offerunt Pro-regi munera à Præfecto Manilenſi & Mariſcallo miſſa, quæ per manus Omonconis recepta ad Regem ſigillata mittit: prohibet noſtris egredi è domo & luſtrare civitatem: aliaque nonnulla tractantur.

1. NOſtri præſenti teſtatoque tot indicijs Pro-regis favore utendum arbitrati eâdem veſperâ conſilio inter ſe habito decreverunt tractatui negotiorum, ob quæ venerant, initium dare, per munera

ra à Præfecto Manilenſi & Mariſcallo id auſpicarentur, hæc Petrus Sarmiento & Michaël de Loarcha, *Omoncone* & *Sinſayo* comitantibus, offerrent, peterentque diem, quo præcipuas itineris cauſas fas eſſet pro earum momento prolixè proferre. Hâc conſilij formâ itum ad palatium: ſignificatur Pro-regi adeſſe cum muneribus Hiſpanos. Ad quæ Pro-rex renuntiari juſſit, non ſibi vacare nunc quemquam audire: munera *Omoncon* & *Sinſayus* inferrent, cæteri ad hoſpitium redirent majori opportunitate vocandi; quibus poſteà ab *Omoncone* & *Sinſayo* relatum fuit, munerum ſpecies fuiſſe à tabellione ſigillatim annotatas, ad hoc teſtes adhibitos, ijſdemque præſentibus rogatum lectumque quis ea offerret, ac denuò fuiſſe convaſata, appoſito Pro-regis ſigillo, ut integra ad Regem ejuſque Concilium, quorum ſedes eſt *Taybin*, (a) cum his quæ Præfecto *Chincheenſi* oblata fuerant, perferrentur. Id ſcilicet legibus Regni ſeveriſſimè ſub pœnâ privationis officij in perpetuum & exilij ad pileos rubros, (id quid ſit ſpeciali capite diximus (b) cavetur ne officiales ab aliquo qualecumque munus accipiant ſine Regis aut Concilij Regij licentia. (c) Quæ *Omonconis* & *Sinſæi* narratio tantò minus noſtros adflixit, quòd ipſi-

(a) *Cap.23.nu.2.* (b) *prima parte lib.3.cap.2. nu. 4.* (c) *lex, quam ſalubriter Chriſtiani Principes imitentur.*

ipſimet ſpectatores fuiſſent ſimilis, quam Præfectus *Chincheenſis* fecerat, annotationis. Nam cùm *Chincheo Aucheum* diſceſſuri iviſſent ut illi valedicerent, omnes allatorum ad ſe munerum partes explicari juſſit, adſtanteſque noſtros, ſi hæc attuliſſent, interrogavit. Affirmarunt illi, quamquàm non modicâ turbatione, arbitrantes cōtemptim hæc ab eo proferri & in vituperium exiguitatis ſuam conditionē nō decentis. Petenti rurſum, ſi quid allatis à ſe muneribus deeſſet, negârūt. Ipſe mox conſarcinari, omnia illis vidētibus, tabellione præſentibus teſtibus ad id requiſitis conſcribente, mandavit, ac ſigillari, & ad Pro-regem *Aucheenſem* cum Hiſpanorum impedimentis mitti.

2. At verò non parum ſollicitos habuit milites Hiſpanos quod permiſſi nō fuiſſent, palatium ingredi munera offerre, quod *Omonconi* & *Sinſayo*, ad quos minimè ſpectabat, concedebatur, quod ad hoſpitium reverſi PP. Auguſtinianis mœſti velut exordium mutati favoris retulerunt. Qui ètſi nihil hinc boni ominari poſſent, divino tamen auxilio, à quo omnis humanorum conſiliorum vera pendet felicitas, confidendum cenſuerunt, orandumque ne ſuæ cauſæ patrocinium deſereret.

3. Poſtridie miſit Pro-rex qui noſtros ſuo nomine inviſeret, peteretque ab illis enſem, bombardam, &

 lage-

lagenam ex ijs quæ attulerant; quod promptè præſtiterunt, ſciveruntque poſteà conatos fuiſſe Chinenſes in ſuis officinis ſimilia elaborare; verùm nondum eorum fuiſſe perfectionem aſſecutos. Intereà eorum in civitate *Auchéenſi* mora protendebatur, dilatâ aut impeditâ omni perficiendi negotia ſua occaſione. Ideoque ne prorſus inertes mœſtique domi reſiderent, ad ſua quiſque oblectamenta exierunt in civitatem, in qua cùm ſumma eſſet rerum venalium copia, unus ad hanc, alius ad iſtam emendam ſuâ voluptate invitabatur, præſertim cum pretio ad ſtuporem exili omnia vænirent. Itaque res oppidò curioſas ſibi comparârunt, maximè diverſorum ſubjectorum libros, quos ſecum ad Inſulas Philippinas advexerunt, prout latiùs proprium caput explicavit. (a) Alterâ luce portas civitatis aliaque raritate ſuâ, qualia ibi ſunt plurima, admiranda ſpectatum iverunt. Luſtrârunt inter cætera templum ſumptuoſiſſimum idolis ſuis dicatum, in cujus ſacello principaliori numerârunt undecim ſupra centum. Eorum quoque numerus ſacellis particularibus non deerat. Omnia erant egregiâ arte exciſa & deaurata, tria tamen in præcipuo ſacello præ reliquis eminebant, medio inter omnia loco collocata. Primum in corpore tria habebat capita pleniſſimo ſe invicem intuitu conſpicientia. Secundum mulieris

(a) *parte 1. lib. 3. cap. 17.*

lieris puerulum geſtantis ſimilitudinem exhibebat, tertium viri veſtiti eo modo quo Chriſtiani Apoſtolos depingimus (a) Aliorum nonnullis quatuor, aliquibus ſex, alijs octo dederant ſculptores brachia, vel figuras prorſus monſtroſas. Omnibus, præſertim tribus præcipuis plurima luminaria & thymiamata incendebantur.

4. Quo oblectandi ſe & luſtrandi portas ac templa ſtudio ad Pro-regem, fortè & ſiniſtrâ interpretatione, delato, illis miſſo ad noſtros nuntio egredi è domo ſine ſuo conſenſu vetat, Centurioni verò ad cuſtodiam dato præcepit ne egredi permittat, publicando inſuper ne quid venale exteris adferatur, &, ſi quis quippiam attuliſſet, fuſtigando. Intereà verò quotidie ipſis, quæcumque neceſſaria erant non avarè miniſtrabantur. Sed parum ad guſtum adferri poterat incluſis triſtibuſque, quod ſua præcipua deſideria non tantùm non peragerentur, ſed indies in pejus declinarent. Solum reſtabat ſolatium in precibus, quas fundebant Deo ferventiſſimas, intuererur quo animo „hanc illi profectionem inchoaſſent: in hac præcipuè „ipſis propoſitum fuiſſe veri Numinis honorem, ani-„marumque ſub ſæviſſima dæmonis tyrannide ſer-„vientium liberationem. Inflecteret itaque ipſe ma-„gnatum corda, ut PP. Auguſtinianis ad ediſcendum

(a) *Vide* 1. *par. lib.* 2. *cap.* 1.

„ gentis idioma, quod facere cœperant, poteſtatem „ facerent in Regno permanendi. Paucis in hac mœſtitia & precibus diebus exactis ſtatuerunt Pro-regem convenire ſua cum eo negotia tractaturi, ac deinde ſeu ad manendum ſeu ad redeundum ſe reſoluturi. Quod caput ſequens dicet.

CAPVT XXVI.

Noſtri, ut Pro-regi loquantur, vadunt: id non permiſſi epiſtolam ſcribunt, cui Pro-rex per verba reſpondet. aliæ res admodùm particulares.

1. PRo-regem in primo Noſtrorum conventu quæſiviſſe an à Rege ſuo literas adferrent, & negantibus dixiſſe ſe Regi ſcripturum, & reſponſo accepto ſe illis, quod petebant, conceſſurum, ſuprà libavimus. (a) Illius reſponſi dilatione & imperatâ ſibi ſolitudine, quæ quandam captivitatis ſpeciem habere ipſis videbatur, tædioſi ſtatuerunt Pro-regem accedere, ejuſque pleniùs indagare voluntatem, quâ cognitâ ipſi decernerent, utiliuſ-ne foret ad Chinæ Regem pergere, an *Auchei* expectare, an ad inſulas, unde venerant, redire, donec Divinæ bonitati viſum eſſet aperire portam, per quam Evangelium in illud Regnum inferretur. Quo animo Centurioni cuſtodi ſuo,

(a) *Cap.23.nu.1.*

ſuo, ut illis poteſtatē adeundi Pro-regem faceret, perſuaſerunt, quam etſi pro adfectu, quo illos complectebatur, ipſe conceſſiſſet, prohibuerunt tamen quibus portarum palatij fuerat mandata cura. Quæ illos repulſa magis concitavit injecitque tantùm non integram ſuarum rerum deſperationem, nam etſi neque vi neque manifeſto mandato projicerentur, factis tamen diſcedendi cauſa non una ingerebatur. Quæ illos ſollicitudo dies aliquot adflixit, ex qua ut ſe evolverent, epiſtolâ perficere, quod coràm non concedebatur, decreverunt. Epiſtolæ hæc ſumma fuiſſet, ve-
„niſſe ſe in Chinæ Regnum ad ſtabiliendam inter
„Hiſpanos & Chinenſes pacem, amicitiamque: hujus
„nuntia ad Manilæ Præfectum milites referrent, Au-
„guſtiniani autem in Regno veram fidei & vitæ
„legem prædicantes remanerent. Verùm qui eam ſcriberet, reperiri non poterat, qualecumque pretium offerretur: tandem multis precibus victus eam ſcripſit *Omoncon*, & mox ad vicinam civitatem *Ampin* diſceſſit, obtentu quidem ut Provinciæ Viſitatorem, quem *Sadin* vocant, videret, reipſa verò ut ſcriptæ epiſtolæ, ſi Pro-regi diſplicuiſſet, ſuſpicionem evaderet. non minori difficultate epiſtolæ latorem quàm ſcriptorem invenerunt, quam tamen muneribus Centurioni cuſtodi datis ſuperaverunt, qui eam Pro-regi

porrigens addidit ſe ideò eam attuliſſe, quòd aſſeveraſſent Hiſpani contineri illâ rem non exigui momenti quæ Pro-regem ipſum concerneret. Pro-rex eâ lectâ reſpondit, ſe Regi ſuo ſignificaturum adventum, prout antè fecerat: Vt autem Religioſi maneant in Regno novam fidem prædicantes nondum eſſe tempus, requiri ad hoc Regij Concilij beneplacitum: ſe literis à Præfecto Manilenſi acceptis reſponſurum, ac illis eundi ad ſuas inſulas poteſtatem facere, unde captum aut cæſum *Limahonem* quando adveherent, regredi in Regnum poſſent, amicitiam quam prætendunt, contracturi manſurique ad prædicandum.

2. Quo reſponſo omni prorſus profectûs ſpe excidentes, ut Manilam redirent, ſe præparare cœperunt, emendis libris, quibus Regni hiſtoriæ & regimen explicabatur, maximè intenti, ut Philippum (fuit is nominis illius ſecundus) Hiſpaniarum Regem ampliſſimè edocerent. Hujus ſtudij Pro-rex per exploratores, quos diſpoſuerat, conſcius factus miſit ad illos qui diceret, iſtâ ſe curâ liberarent, Pro-regem gratis tributurum quot, quoſque vellent; quod poſteà aut oblivione aut alijs cauſis ſecretis non præſtitit: peti tamen ab illis juſſit ex libris, quos Hiſpani attuliſſent, aliquos, ac quippiam ipſorum manu ſcriptum. Miſerunt

runt libros & ſcriptam orationẽ Dominicam, ſalutationem angelicam & decem præcepta, quæ cùm legiſſet, approbaſſe retulit eorum lator.

3. Inter cætera quæ noſtri *Auchei*, dum ibi hæſerunt intellexerunt, fuit captivitas cujuſdam Luſitani, quem cœperant in nave Iaponenſi cum alijs ſuæ nationis, quos ærumnæ exſtinxerant, ſolus hic alijs ſuperſtes vivebat. Hunc alloqui noſtri deſiderabant ad ejus ſimul ſolatium & ſuam inſtructionem. Solatium ipſi, etiamſi verbis non potuiſſent, ſolâ patriæ ſignificatione attuliſſent: ad inſtructionem ab eo accipiendam longa ejus in Regno Chinenſi mora apta videbatur. Ideoque à Supremo Iudice Pro-regis Vicario viſum fuit petere eum alloquendi facultatem, quam non tantùm non dedit, verùm ſtudioſiſſimè de indice inquiſivit, ſedulitate inquiſitionis ſatis ſuperque manifeſtans acerbitatem pœnarum, quas infligere ſtatuerat detecto. Aſt nullâ ſæpiuſque repetitâ indagine quidquam à noſtris eſt conſecutus.

CA-

CAPVT XXVII.

Nuntia Aucheum deferuntur magna in finitimus Chinchei damna à quodam pirata inferri, oppidumque integrum ab eo fuiſſe deſtructum. Suſpicatur Pro-rex iſta à Limahone fieri, & neque Nóſtros neque Omonconem Sinſayumve veritatem aperuiſſe.

1. EXactis *Auchei* ita, ut diximus, viginti diebus, & præcîsâ omni prædicationis Evangelicæ ſpe, quæ præcipuè Auguſtinianos in illud Regnum impulerat, quaſi omnia in pejus pondere quodam volverentur, nuntia *Aucheum* adferuntur conſternatione plena *Limahonem* rurſum partes *Chinchei* maritimas ſolitâ crudelitate infeſtare, oppidum unum ſpoliaſſe deſtruxiſſeque. Nec mentiebatur damnorum factæque ſævitiæ publicatione fama, ei tamen populi ſuſpicio ex facinorum ſimilitudine *Limahonis* nomen affinxerat, qui ab authore horum ſcelerum, cui *Taocay* nomen, maximâ inimicitiâ diſſentiebat. *Taocay* ſcilicet *Vintoquiam* piratæ junctus fuerat, quem navali prœlio *Limahon* ſuperavit. (a) Populi opinio facilè Pro-regem præcipuoſque alios traxit in ſocietatem erroris, qui jam dudum in animos ſuos admiſerant exte-

(a) *Cap.* 2. *nu.* 2.

exteros nullo bono fine in viſcera Regni penetraſſe. In quo nunc confirmatiores plurimum priſtinæ benignitati demere cœperunt.

2. Ad famæ primordia *Omonconem* ex *Ampin* reverſum & *Sinſayum*, quos honoribus & titulis *Loitias* ac Centurionum auxerat, Pro-rex ad ſe venire imperavit, accerrimèque quòd Noſtros introduxiſſent, reprehendit, mendacij eos apertis verbis arguens, quòd *Limahonem* concluſum, ut evadere non poſſet, dixiſſent: incenſas ab Hiſpanis ejus naves, adductos ex ijs captivos, meros eſſe & ex compoſito confictos fucos; reverà autem eſſe Regni exploratores obſervaturos quid in Regno debile eſſet aut validum ideoque muneribus eorum fidelitatem concuſſiſſe. Reſpondebant magnâ humilitate *Omoncon* & *Sinſayus* nihil ſe à veritate retuliſſe alienum, nec quidquam ad probationem innocentiæ requirere quàm magiſterium temporis cuncta è tenebris evolventis: à quo ſi per contrarios ſucceſſus convincerentur, nullos ſe detrectare cruciatus. His mitior factus Pro-rex utrumque dimiſit temporis beneficio ad doctrinam veritatis uſurus.

3. Quæ cùm mox *Omoncon* atque *Sinſayus* ad Noſtros pertuliſſent, tanta eos formido arctavit, ut eâ ſolâ favorum præcedétium conviviorumque amplitudi-

tudinem ſolvere ſibi viderentur. Deſperationem nata inter *Omonconē* & *Sinſayum* contentio, quâ ne à mutuis quidem injurijs ſibi temperabant, exaſperabat. Improperia utriuſque in narratione rerum in Inſulis Philippinis geſtarum infidelitatem detexerunt, *Omonconis* maximè, (nam diſſimulando magis quàm mentiendo *Sinſæus* peccavit) qui Pro-regi paſſimque omnibus perſuaſerat ſuâ induſtriâ ſuiſque auſpicijs incenſas fuiſſe *Limahonis* naves, ipſum *Limahonem* obſeſſum, quæque his ſunt conjuncta; inverecundo certè mendacio, quem conſtat viginti amplius dies tardiùs quàm confecta eſſent iſta omnia, ad Inſulas Philippinas appuliſſe. Diſſentiendi cauſam ambitio genuerat fœcunda diſcordiarum mater. Munia tituloſque honoratiores, quàm *Sinſæo*, *Omonconi* Pro-rex contulerat, quod fœderi inter ſe inito, quo, ut æqualia præmia conſequerentur, mutuas ſibi laudes ſpoponderant, adverſari *Sinſæus* reputabat, ex tributorum titulorum inæqualitate educens infidelitatem *Omonconis*, quaſi in ſuas fuerit quàm ſocij laudes copioſior. *Omoncon* verò ſe, qui nobilis erat Centurioque, æſtimabat non immeritò præferri *Sinſæo* vili ac nautæ. Illâ utrimque diffidentiâ præſumptioneque ſtratam ſecretis pactiſque mendacijs viam coram Pro-rege aperuerunt, dederuntque occaſionem ut pronus jam malam ſuſpicionem

cioné Pro-rex ex unius falſitatis ſolemni probatione, eandé omnibus dictis ignominiã affricaret, crederetq; jã nihil vel de claſſe conflagrata, vel obſeſſo *Limahone.*

CAPVT XXVIII.

In conventu Præfectorum Provinciæ decernitur ut ad ſuos noſtri redeant.

1. ANgebantur itaque ob illas cauſas aliquot diebus noſtri ædibus ſuis clauſi & minori viſitantium, quam ſolet, frequentiâ, ſumptâ hinc novâ ſequioris ſuſpicionis occaſione, donec Pro-regem aut proprio motu aut particularia Regis ejuſ-ve Concilij imperio indixiſſe omnium Provinciæ *Aucheenſis* Præfectorum comitia intelligerẽt, in quibus de *Limahonis*, ſuique in Chinam adventûs cauſis ageretur. Cùm omnes brevi temporis intervallo adveniſſent, & inter eos Præfectus *Chincheenſis*, quem non ſemel *Inſuantum* appellavimus, habitis aliquot inter ſe & cum Pro-rege particularibus conventibus, placuit generalem indicere, & ad eum Hiſpanos (quos diximus ſupra à Chinenſibus *Caſtillas* paſſim fuiſſe vocatos) citare dicturos publicè cauſas ob quas in Chinæ Regnum adveniſſent, quod non ſemel privatim, præſer-

tim apud *Chincheenſem* Præfectum ac Pro-regem, fecerant. Convenerunt autem ſtatuto die ad ædes *Cagnitoc*, (a) excepto Pro-rege, omnes; advocatiſque Hiſpanis, qui prompti alacreſque de rerum ſuarum ſumma dicturi accepturique reſponſum adfuerunt, ingrediendi in conſeſſum facultatem dederũt. Conſederant certè omnes ornatiſſimis ſedibus maximâ gravitate & majeſtate, Præſide *Inſuanto*, ſeu quòd à Pro-rege eſſet illius Provinciæ præcipuus, ſeu quod ipſe *Omonconem* inſequi *Limahonem* feciſſet. Intrantes neque ſedere juſſos neque ullâ humanitatis teſtificatione receptos *Inſuantus*, apprehensâ eorum manu, per interpretem interrogavit ad quid in illud Regnum veniſſent, quidve prætenderent: hoc Pro-regem ſcire velle, hoc omnium Præfectorum conſeſſum illius ergô à Prorege imperatum. Reſponderunt porrò Noſtri, veniſſe ſe ut pacis amicitiæque fœdus cum illis inirent: iſtud Præfectum Inſularum Philippinarum deſiderare: idemque ſtudioſiſſimè Regem ſuum Philippum, ex quo coli ab Hiſpanis inſulæ iſtæ cœperunt, commendaſſe: voluiſſe ut hoc ſuum deſiderium ſignis operibuſque, quantum poſſent, demonſtrarent: non defuiſſe hactenus Inſularum Præfectos Regis ſui voluntati, captivos Chinenſes libertate & muneribus donatos in patriam remittendo, ac ut alia, quæ ipſis erant no-

(a) *Vide cap. 23. nu. 2.*

notiſſima, præterirent, *Limahonis* claſſem paucis ab hinc retrò diebus deſtruendo eumque arctiſſimè obſidendo: his nuntijs, quæ ſunt proniſſima optimi Hiſpanorũ erga illos adfectûs indicia, intraſſe ut perpetuam inter ſe amicitiam conceptis utrimque conditionibus ſtabilirent: quæ ſi utriſque ſcilicet opportuna futura non diſpliceret, ituros ad Præfectum Manilenſem milites illius rei nuntios, quam ille ad Regem ſuum in alium ferè mundum perſcriberet, ſe autem in aliquo Regni loco, quem ipſi deſignarent, permanſuros, ut Regni linguam addiſcant, prædicentque deinde Evangelium, per cujus doctrinam haberi animarum ſalus poteſt, & præter quam nulla patet in cælum via. Dicentes hæc attentè certè audierunt, nullo tamen, quantum colligi ex ſignis potuit, experiendi deſiderio, nam intacto principali multis interrogationibus, quæ de *Limahone* ſcire cupiebant, quæſiverunt, reddentibus noſtris ſuâ illũ opinione nũc aut captivũ eſſe aut occiſum. His auditis *Inſuãtus* cõcluſit, ut ad Inſulas redirent, & cùm *Limahonẽ* adducerent pacẽ ſecum habituros & apud ſe prædicandi Evãgelij poteſtatem.

2. Itaque jam non per ambages aut diſcurſum, ſed manifeſtiſſimis *Inſuanti* verbis, atque adeò Comitiorum, quorum nomine ille loquebatur, decreto intelligebant Noſtri ſibi eſſe è Regno recedendum.

Et quoniam ſpecies illa captivitatis ac ſolitudo ad ædium anguſtias redacta impolita; imò aſpera, quòd omnis eſſet boni ſucceſsûs ſpes amputata, videbatur, maturare reditum deſiderio poſt longos labores quietis & libertatis cœperunt, nuntiantes Pro-regi, ſe feſtinantiſſimè diſceſſuros. Qui hilari eos eſſe animo juſſit ac peregrinis delitijs delectari, donec Provinciæ Viſitator, qui vidére eos ſummoperè cupiebat, poſt decem dies adveniret: nec diutiùs ſe eorum voluntati repugnaturum. Atque ut ipſi placita ſibi oblectamenta quærerent egrediendi ex ædibus in civitatem facultatem conceſſit, ipſe alijs, ut recreare peregrinos ſtuderent, hortator factus verbis & exemplo, armiluſtro ſcilicet ſpectatu digno, ad quod vocati noſtri fuerunt. Mos Regni eſt illa univerſim per totam Chinam inſtitui ſingulis novilunijs. Iſtud autem in patenti prato muris civitatis adjecto fuit inſtitutum eo, qui ſequitur, modo.

3. Erant milites plus minus vigeſies mille lancearij ſclopetarijque ad ſonitũ tubæ & tympani exercitatiſſimi, ut ad ſignũ datũ momento tẽporis ſtarent accincti ad iter: eâdem promptitudine in turmas coirent, ac ad aciem dilatarentur: non minori rurſus facilitate ſclopetarij ordinatiſſimè exploderent, mox in loca ſua recurrentes, tandemque lancearij ſe invicem invaderent

derent aggreſſibus tantâ arte diſtributis, ut excedere totius mundi militiam Hiſpanis viderentur, quem certè, ſi animos haberent numero & dexteritati pares ſubjugare non magno negotio poſſent. Si quis miles aut arma indecorè tractaret, aut ad loca nō debitè recurreret, alicuive alteri obligationi militari deeſſet, ſæviſſimè vapulabat, ut alacriores vigilantioreſque redderentur acerbitate pœnarum. Duravit armiluſtrum horas omninò quatuor, aſſertumque fuit noſtris eodem prorſus die & eâdem diei horâ ſimilia celebrari in omnibus Regni quantumcumque ampli præſidijs, etiam dùm nullus eſt hoſtis timor aut ſuſpicio.

4. Die poſt datum noſtris reſponſum ſupra vigeſimum quinto advenit Viſitator, totâ illi occurrente civitate, quam eâ eſt pompâ ingreſſus, ut Regem credere facilè potuiſſet, qui ignoraſſet Viſitatorem. Hunc cum ſcirent noſtri deſiderio teneri illos videndi, altero die viſitârunt. Turgebant ædium areæ ſollicitantium & queruloſorum turmis, interiora autem cubicula prorſus vacua erant, niſi in ijs famuli judiceſque ambulaſſent. Cum libellis, quos præſentatos vellent, advenientes exterior portarius ſiſtere jubebat, ipſe verò elatâ voce exclamans miniſtrorum aliquem evocabat qui acceptos libellos ad viſitatorem deferret. Cui

Cui cùm renunciatum eſſet adeſſe Caſtillas (hoc nomine Hiſpanos in Regno Chinẽſi vocatos fuiſſe alibi diximus) protinus admiſſis breviter verùm humaniſſimè locutus eſt ſuper *Limahonis* captivitate, nullâ diſceſsûs eorum aut ulterioris in Regno Chinenſi moræ mentione. Perſonarum mores & veſtitûs formam pro exiguitate temporis curiosè conſiderabat, occupationibus Viſitationis adſcribens quòd agere cum illis diutiùs aut excipere magnificentiùs non poſſet. Eodem, quo Præfectum *Chincheenſem* & Proregem *Ancheenſem* Noſtri conſpexerant,modo conſederat, poſitâ nimirùm ante eum mensâ, papiro, cæteriſque ad ſcribendum requiſitis. Nec aliter in toto Regno Iudices aut judicia exercent, aut ad alloquium admittũt. Tertio ab adventu Viſitatoris die *Inſuantus Chincheum* diſceſſit,naves,quibus Hiſpani in Inſulas Philippinas revehherentur, parare celeriter juſſus: priùs tamen à Noſtris miſſo nuntio exquiſivit ſi ad plenilunium tardarent. Auſpicatum rerum inchoationibus illud arbitrantur,celebrantque, ſicut primum anni diem , magnis ſuperſtitionibus multiſque epulis, prout alibi à nobis demonſtratum eſt. Nec diutius, quàm *Inſuantus*, alij Provinciarum Præfecti ad Comitia vocati *Anchei* morati ſunt. Pridie tamen noſtros Pro-rex ad convivium invitari fecit, ad formam quidem præceden-

cedentium, verùm illis, quia ſupremo erat diſceſſui paratum, multò ſumptuoſius. Inſignis comœdiæ, quæ repræſentabatur, hoc argumentum interpres, antequam inciperetur, explicabat. *Adoleſcens poſt non diu initum matrimonium ab uxoris moribus averſus ad vicini regni bellum conceſſit, factiſque heroicis & nomen ſibi & Regis gratiam eſt promeritus, quem proinde Rex & honoribus auxit & difficillimis ubique negotijs adhibuit, eo ſemper ſucceſſu qualem Rex ejuſque Concilium deſiderabant. Tandem, cùm multitudine egregiorum facinorum fortitudinis & fidelitatis opinionem roboraſſet, eum Rex ſe abſente exercitûs Legatum, eâdem poteſtate, quam ipſe habebat, attributâ, conſtituit finito bello in patriam cogitantem tribus auro onuſtis plauſtris & inæſtimabilis pretij gemmis donârunt, cum quibus, divitijs æquè ac honoribus cumulatus magnam etiam apud ſuos venerationem invenit.* Nihil in motibus ſcenicorum deſiderabatur, nihil in veſtibus: ut dubium fuerit an res ipſa geſta fuerit perfectiùs, quàm imitatio fuerit aſſecuta. Ne ultimo quidem iſti convivio Pro-rex interfuit, illius curâ duobus Centurionibus, quibus priùs, commiſsâ, quibus alius acceſſerat Centurio magni in iſta Provincia nominis, *Chautalay* dictus, cui imperatum erat ut Manilam noſtros reduceret. Ex convivij aula magno comitatu ad ædes Theſaurarij Regij (*Cognotoc* illi dicunt) propinquas perrexerunt, qui ad recipiendos hoſpites ipſam vocaſ-

ſe humanitatem videbatur, ita verba omnia benevolentiæ & amoris indicijs amœniſſimè profluebant. Eorum hæc ſumma fuit, ſperare ſe brevi denuò eos videre cùm *Limahonem* adducerent cujus ſolius captivitate aut morte, certa inter eos amicitia conſtaret, agerentque de alijs prolixiùs.

5. Vt porrò Præfecti Manilenſis & Mariſcalli muneribus ad Pro-regem *Aucheenſem* miſſis Chinenſes reſponderent, quadraginta ex ſerico & viginti ex burato pannos, umbellas biſſinas duas, ſedem unam geſtatoriam deauratam & unum equum Theſaurarius Regius ad Præfectum Manilenſem, totidemque omnia ad Mariſcallum, atque ad ſingulum ſingulam epiſtólam miſit, muneribus ſeparatam pulcherrimæ & depictæ ciſtæ incluſis. Addidit, quæ Centurionibus ac Officialibus exercitus obſidioni *Limahonis* intenti diſtribuerentur, quadraginta biſſinos varij coloris pannos, mantella manta nigra trecenta parique numero umbellas pro militibus. Cuilibet autem Religioſo pannos ex ſerico octo tribuit, militibus eorum comitibus quatuor, ac ſingulis equum unum unamque biſſinam umbellam. Equi ad faciendum iter erant vigoroſiſſimi. Atque ita illos Theſaurarius dimiſit, monens, ut, quoniam omnia ad profectionem erant parata, Pro-regi & Viſitatori valedicerent, quod mox fece-

fecerunt ab utroque magnâ ſatisfactione recepti & dimiſſi. Eandem apud *Totoc* ſeu ducem exercitus generalem, quem etiam viſitabant, benignitatem ſunt experti. Alterâ die iter ad portum Tanſuſanum ([a]) aggreſsi ſunt, poſtquam dies ſeptem ſupra quadraginta *Auchei* exegiſsent.

CAPVT XXIX.

Noſtri Aucheo diſcedunt Chincheum venientes jubentur Inſuanti imperio ſine mora iter ad portum Tanſuſo proſequi: ipſe illuc venit, & novis honoribus eſt proſecutus.

1. NOn minori, quàm intraverant, multitudinis concurſu ex civitate *Aucheenſi* Noſtri diſceſſerunt X. Kalendas Septembris, ([b]) omnes ad mancipia uſque ſedibus lati, Pro-rege ita mandante. Auguſtinianorum ſingulorum ſedibus octo pariter viri ſuccollabant; comitum militum, quatuor; famulorum & mancipiorum, duo: omnium numero in ſolatium defatigatorum duplicato, præter viginti quatuor ad portanda impedimenta deputatos. Præcurrebant duo quorum alteri præparandorum hoſpitiorum, alteri latorum, & ſolutionis operarum ac expenſarum cura

([a]) *De Tanſuſo.* (b) 23. *Auguſti.*

incumbebat. Duplicatis porrò itineribus proficiſcebantur, ut quarto die *Aucheo Chincheum* pertingerent.

2. Ad ingreſſum civitatis *Inſuanti* famulus heri nomine morari ibi vetat,ſed præcipit pergere incepto itinere ad portum *Tanſuſo*, addens *Inſuantum* ſequenti illuc die ſecuturum. Itaque continuatâ & feſtinatâ profectione *Tangoam*, quam jam ante viderant, (a) ſecundâ die tenuerunt magnâ benignitate & delitijs excepti. Hinc ad portum uſque *Tanſuſo* (fuit is primus ad quem ex Inſulis Philippinis appulerant (b) non ampliùs diem impenderunt. Prætor in eaſdem illas ædes, in quibus anteà fuerant hoſpitati,induxit, omnia copioſiſsimè adminiſtrans, donec quarto illuc die *Inſuantus* veniret: citiùs adeſse, etiamſi id deſideraſset, intempeſta aura prohibuerat.

3. Alterâ ab adventu ſuo die (hæc erat menſis Septembris tertia) *Inſuantus* Noſtris,ut naves conſcenderent,ſignificari juſsit, quâdam conjunctionis Lunæ ſuperſtitione, naves etenim nondum ex integro paratas nec ipſe ignorabat.Superſtitionē etiamſi Noſtri contemnerent,voluntati tamē parendum cenſuerunt *Inſuanti*,qui ipſe ad litus venit. Adfuit etiam genus aliquod Religioſorum,ut ſuis ſacrificijs & precibus propitiū redderent mare navigaturis, conſuetudine illius

(a) *Cap.14.nu.2.* (b) *Cap.13.*

Regni

Regni non infrequenti. Cæremonijs ſacrificij peractis Noſtri *Inſuantum* convenerunt, de illorum abitu mœſtum, & in quo cum majeſtate humanitas certare videbatur. Navem de commeatu, qualis profecturis placuiſſet, copioſiſsimè providit: allata cupedia & vinum ſuâ omnibus manu miniſtravit & pariter ſumpſit, quod ſupremum eſt in China æſtimationis & favoris genus. Deinde ut navem intrarent præſente ſe voluit, nam etſi nondum illas vela facere poſſe non ignoraret, reputavit tamen errore gentis non eſſe negligendam diei illius proſperitatem. Pro-regis præterea mandato jubebatur ab ijs non prius, quàm navem conſcendiſſent, diſcedere. Quod eodem tempore, actis prius prolixis gratijs *Inſuanti* favoribus, compleverunt, ipſo in litore ſpectante. Tranſeundo locum in quo Religioſi Chinenſes conſtiterant, viderunt poſitam menſam, & in ea præciſo gutture vaccam integram, porcum, capram, aliaſque res comeſtibiles ad ſacrificium, quod iſtis occaſionibus offerre conſueverunt, parata. Scaphâ in prætoriam navem, quæ illos in Inſulas Philippinas eſſet vectura, imponuntur, quam mox funibus agitare circum-jectæ ad eum finem cymbæ cœperunt, quo indicio ſuo etiam ſacrificio ſacerdotes initium dederunt, nec finierunt ante veſperam, quam illuſtrem ſolemnemque reddi-

derunt accenſa paſsim in civitate & portu luminaria, ſclopetorum & tormentorum bellicorum, quotquot iu navibus erant, exploſio, & ſonitus tympanorum ac campanarum. Intereà ad ſuas ædes *Inſuantus* diſceſſerat Noſtrorum tamen non immemor, nam eos miſſo ad hoſpitium, ad quod etiam ipſi veſpere præcedente fuerant è navibus regreſſi, domeſtico ad convivium ſequenti die invitari juſsit, quod fecit tam famoſum ut priora omnia ſuperaret, cui ipſe & dux generalis exercitus illius Provinciæ interfuerunt. Ciborum in eo apparatus incredibilis, varia aurium oculorumque oblectamenta quatuor horas abſumpſerunt. Munerum, quæ ad eum Manilæ Præfectus & Mariſcallus miſerant, non obliviosus hæc reddidit: Præfecto biſſinos pannos quatuordecim, decem Mariſcallo, Auguſtinianis ſingulis quatuor, militibus ſocijs duos: famulis mancipijſque picta mantella. Epiſtolis à Præfecto & Mariſcallo acceptis reſpondit: abeundi facultatem, quando ventus faveret, fecit, addens, navi de neceſſarijs rebus proviſum, commeatum, qui decem ſufficeret menſibus, in eam immiſſum: quòd ſi Chinenſis aliquis ex ijs, qui cum navibus ituri eſſent, ſive in itinere, ſive in Inſulis peccaret, illum Inſularum Præfectus ſuo judicio caſtigaret, hoc gratum Pro-regi futurum: ſperare ſe brevi eos rursùm in Regno, quando

do *Limahonem* adducerent, viſurum, tunc ſe humanitatis defectus, qui nunc accidiſſent ſuppleturum. Reſponderunt noſtri non debere illum eſſe de defectu ſollicitum, ſed ſe ejus exceſſu manere arctiſsimè obſtrictos, experiretur verò ſe beneficiorum nec immemores futuros nec ingratos, quibus etiamſi impares ipſi eſſent, Regi tamen ſuo potentiſsimo ſignificaturos, ut quærat illis reſpondendi occaſionem. Poſt hæc in domum *Inſuantus* diſceſsit manentibus apud noſtros Centurionibus quinque, qui eos eſſent comitaturi; *Omoncone* item & *Sinſayo*, qui convivia cum Loitiarum inſignibus, quæ pridie ab *Inſuanto* acceperant, interfuerant. Vela, cùm tempus ventuſque profectioni favens mare reddidiſſent, XVIII. Kalendas Octob. (a) facturos *Inſuantus* Prætorque *Chincheenſis* in aliquod ſed ſupremum ſui amoris, quo illos fuerant complexi, ſolatium ex litore ſpectaverunt. Adfirmabant Chinenſes à ſe viſos ubertim lachrimas in hac divulſione profudiſſe, quod non incredibile viſum Hiſpanis, qui ſcirent illos humaniſsimos æquè ac in ſinceritatem amoris proniſsimos, præſertim *Inſuantum*, qui prætereà corporis pulchritudine omnes, quos in Regno Chinenſi viderant noſtri, ſuperabat.

(a) 14. *Septemb.*

CAPVT XXX.

Noſtri ex portu Tanſuſo ſolvunt, quotidie novarum inſularum portibus illabuntur: res ab ijs in illis viſæ.

1. NOſtri in navibus ita dividebantur, in una Auguſtiniani erant, Michaël de Loarcha, *Omoncon*, & tres alij Centuriones: Petrus Sarmiento, Nicolaus de Cuença, Ioannes de Triana, *Sinſayus* cum famulis in ſecunda: quas ſecuritatis ergô octo comitabantur. Direxerunt proram in inſulam vicinam & exiguam, verùm optimis aquis, ex quibus pro arbitrio ſumpturi erant, irriguam & fidiſſimo portu. In hac utpote formoſiſsima ſequentem diem, qui Iovis erat, læti exegerunt. Die Veneris jam adoleſcēte in aliam quatuor inde miliaribus abjectā *Laulo* nomine ſolverunt, alio tramite, quàm venerant, regredi Chinēſium ducatu deliberati, qui ſciebant ventos iſtis menſibus illâc magis propitios. Hac ad noctis quietem uſi ſunt. Proximâ luce *Chautubo* non multùm à priore ſeparatam tenuerunt pagis plenam, quorum unus, cui *Gautin* nomen, quinque turribus lapideis quadratis velut quibuſdám fortalitijs triginta ſex pedes altis muniebatur, cæterorum contra pyratarum, quorum frequens

frequens ibi eſt infeſtatio, incurſus aſylum, in quorum detectionem ſpeculæ frequentes in ijs aſſurgebant. Horum forma cum noſtris non diſpliceret, ut ea interiùs luſtrarét curioſitas perſuaſit, appropinquantes autem clauſis portis vigiles prohibuerunt, qui nullis aut precibus aut promiſſis, ut eas reſerarent, induci potuerunt. Obſervatu dignum in hac inſula viſum fuit, quòd cum tota arenoſa eſſet & montoſa, culturam tamen non reſpueret, paſſim orizâ, tritico, alijſque frumentis & leguminibus ſeminata. Vaccis abundabat & equis. Nullius dominio ſubjecti in ſummâ vivunt pace, quia rebus quique ſuis contenti. Inde ſub veſperã ſolventes mane ad inſulam *Corchu*, quæ viginti à portu *Tanſuſo* miliaribus abeſt, pervenerunt Dominico die, quinto à quo navigare cœperant. Videntes Noſtri non itinerantium ſed recreantium ſe hanc eſſe navigationem, tantæ tarditatis pertæſi, veriti etiam ventorum inconſtantiam Centuriones rogarunt, ut accelerare nautas omiſſis tot portubus juberent. Reddiderunt Centuriones, ferrent has moras patienter, quæ Pro-regis & *Inſuanti* mandato fierent, ſollicitorum ne continuatâ celeriter navigatione aliquod ſanitatis detrimentum paterentur; illos velle ut integri Manilæ reddantur. Eadem die validior inſurrexit ventus, quàm ut fidere illi naves auderent Chinenſes, territi

non ſolùm Pro-regis *Inſuantique* imperio, ſed maris etiam fluctibus, quibus non facilè ſe ſuaque credunt. Iſti Inſulæ altera jungebatur, quam *Ancon* dicunt, fundi quidem, quàm *Corchu*, multò fertilioris, nullo tamen habitata. Mirantibus ob id Noſtris fuiſſe ajebant alij quondam populo frequentiſſimam ac poſteà vaſtatam infortunio magis ſuo quàm culpâ. Cùm enim Regis Chinenſis claſſem non longè ab illa tempeſtas planè diſſipaſſet, iſtorum litorum, Præfectus temerè ſuſpicatus ab incolis inſulæ fuiſſe trucidatos, impotenti in illam animo irruens plurimos cecîdit, ſuperſtites in continentem captivos abducens quibus etiamſi, cognitâ innocentiæ veritate, facultas redeundi fuerit data, maluerunt tamen in novis ſedibus quieti, quàm in veteribus viuere periculis obnoxij. Atq; ita manſit ſolorum porcorũ, qui cæſis aut abductis hominibus remanſerant vel eorum generatione ſucceſſerũt, habitaculũ. Habet inſula *Ancon* omneſque finitimæ, quæ ſunt plurimæ, ſecuros & ſcatentes piſcibus portus, ſibique ſuccedunt donec perveniatur ad fretum non ampliùs quadraginta quinque miliaria latum, quod uno die tranſmitti ad portum uſque *Cabite* juxta Manilam poteſt.

2. Ancone navigantes *Plon* inſulam intrârunt, ubi prima ex nave piſcatoria nuntia intellexerunt evaſiſſe ex

ex obſidione *Limahonem* eâ aſtutiâ quam ſequens caput docebit.

CAPVT XXXI.

Redduntur certiores fugiſſe Limahonem eſſeque in vicina Inſula: opinionibus diſceptatur, ſit-ne in ea oppugnandus an non; prævalet negativa: iter proſequuntur perveniuntque Manilam.

1. IN inſula *Plon* cùm opportunum navigationi tempus opperiuntur, certi omnem ſe occaſionem capturos inquirendi quo tandem ſucceſſu *Limahonis* obſidio eſſet terminata, in eundum navis piſcatoria portum illabitur. Rati aliam fuiſſe atque ab inſulis veniſſe Philippinis, ad eam accurrerunt varijs quæſtionibus interrogantes, quales eſſent, unde ſolviſſent, ſi quæ de *Limahone*. (noverant hoc nomen omnes aut damno ſibi illato, aut vulgatiſſimâ illati alijs famâ) nuntia adferrent. Fugiſſe ajebant illi incunctanter & prolixè hâc ſerie. *Limahon* arctiſſimâ ab Hiſpanis obſidione clauſus deſperatâ è viribus ſalute animum ad aſtutiam converterat, non ſegniter cum fabris lignarijs, quos ſecum advexerat, fabricandis intra munitionem ſcaphis incumbens, militibus reſi-

duas ex combuſta claſſe trabes aſſereſque de nocte ſedulò miniſtrantibus nullâ Hiſpanorum notitiâ, quibus ea ſola cura erat fluminis oſtium ad prohibendas ſuppetias clauſiſſe, de fuga prorſus ſecuri, ejus ſpe per exercitum vallumque munitioni ad ripam uſque fluminis circumjectū præciſâ illis quorū naves incenderant. Nam quis eos per latiſſimum fluvium deferret? Illâ tamen, quâ maximè tutam obſidionem arbitrabantur, parte patuit fugæ locus, induſtriâ ſecretiſque laboribus indubitatam eludentibus Hiſpanorum opinionem. Quas ſecretò fabricaverat ſcaphas pari ſilentio flumini impoſuit, ut priuſquàm fugæ indicium ſentiretur periculum ſuperaverit in inſulam *Tocaotican* delatus, in qua ſcaphas reficiebat perficiebatque ad ulteriorem ſalutem. Non plus octiduo à fuga effluxerat cùm hæc narrarentur.

2. Quæ non modicè omnes turbabant, maximè verò *Omonconem Sinſayumque*, veritos ne, cùm in Chinam redirent, *Loitiarum* inſignia, quæ ob clauſum ſuâ, ut ajebant, induſtriâ *Limahonem* gloriosè ſuſceperant, his nuntijs evaſionis allatis amitterent indecorè. Atque hoc minimum erat pœnarum, quæ tunc objiciebantur animo, genus. Quare ſubitâ irâ in Hiſpanos converſi, *Hæccine*, inquiebant, *eſt veſtrorum, quam tantoperè jactatis, fidelitas? Itane noſtrâ credulitate abutuntur ut qui*

noſtrâ

noſtrâ operâ, conatu ſi non impoſſibili certè maximè arduo ac parùm viſo, voluerint vos in clauſum ſeverè Regnum induci, his beneficijs neglectis corrumpi ſe patiantur muneribus vilis pyratæ? quid enim aliud ſuſpicemur in tanta obſidionis certitudine, ex qua non videbatur vel dormientibus Hiſpanis elapſurus? Ferocientes animos certis poſſibilis elapsûs rationibus mitigare ſtuduerunt, promittentes, cùm Manilam veniſſent, ex ore Præfecti & Mariſcalli excuſationes uberiores, quibus ipſi approbarent incontaminatam Hiſpanorum fidelitatem innocentiamque. Cæteris Chinenſibus tali reſponſo placatis, *Omonconi* & *Sinſayo* de ſuo honore anxiis viſum fuit pyratam longæ obſidionis laboribus & miſerijs fatigatum ac rebus ad defenſionem neceſſarijs etiam-nùm deſtitutum in inſula *Tocaotican*, quam in conſpectu habebant non amplius duodecim miliaribus ſemotam, invadere opprimereque. Reſtitit autem iſta prementibus navium Præfectus opponens calidis eorum rationibus Pro-regis & *Inſuanti* mandatum, quo reddere Manilæ Hiſpanos, & revehere captum aut cæſum *Limahonem*, ſi ipſi tradidiſſent, jubebatur: hoc ſe ájens ſervaturum inviolatè. Addebat naves equis alijſque rebus ad Inſulas Philippinas ferendis eſſe impeditas, ac inſtructas ad peregrinationem non ad prælium: hoc prætereà non ſine magno diſcrimine iniri poſſe cum viris deſperatione

omnis veniæ ferociſſimè pugnaturis, & æſtimaturis glorioſiorem in pugna cladem quàm in theatris ſupplicium: adverſus tales alijs, quàm modò haberet, præſidijs opus eſſe.

3. Præfecti ſententiæ acceſſerunt omnes nihilque nunc expectabant quàm temporis opportunitatem, quâ recto tramite Manilam, declinatâ *Tocaotican* pyratæ inſulâ, ferrentur. Nec ante undecimam Octobris diem ſolverunt tribus ibi ſeptimanis continuâ ventorum contrarietate detenti, quæ etiam cauſa fuit, ut nulla ex portu Inſulæ *Plon* navis vela faceret, quæ pyratæ nuntia iſtius navigationis noſtræ & Centurionum Chinenſium deferre poſſet.

4. Decimo-ſexto à portu *Plon* verſus Auſtrum miliari Inſulam ingentem *Tangarruan* (complectitur ambitu ſuo miliaria ampliùs ſexaginta) detexerunt, populo habitatoribus Philippinarum non abſimili frequentem, quam noctu præternavigare ſtatuebant, at verò ingens ſubitò exorta tempeſtas navem, in qua Auguſtiniani vehebantur, ab alijs novem avulſam in altum mare projecit, objecitque, rupto clavo, extremæ deſperationi, reliquis propiùs inſulam mitiùs habitis. Fervidæ inter tumentes undas fuſæ ad Deum preces: diligenter etiam laboratum, ut clavi neceſſitatem ſupplerent. Intereà venti impetu cadente miteſ-

cere

cere mare cœpit, factum mox planè favorabile, ut aurorâ rerum ſpecies detegente die Octobris decimoſeptimo, qui Dominicus erat, viderint ſalutaverintque Manilam ardenter deſideratam, quam tamen ante SS. Simonis & Iudæ feſtivitatem non tenuerunt, quòd ad ſinum fluminis *Pangaſinan*, quò ſe congregare, ſi tempeſtate impellente diſpergerentur, communiter ſtatuerant, retroceſſiſſent: Hinc ad portum *Buliano* navigantes, etiamſi eum non intrarent, *Omonconis* nihilominus rogatu in terram emiſerunt Chinenſem linguæ inſulanorum peritum, qui de obſidionis ſucceſſu & fuga *Limahonis* quam etſi in *Ploy* audiviſſent nondùm planè credebant, penitiùs inquireret, retulitque omnia eadem nullâ omninò diſcrepantiâ. Iſto igitur, quod ex incertitudine primorum nuntiorum ſibi tribuebant, ſolatio etiam amiſſo *Omoncon* & *Sinſayus* triſtitiam toto pectore admiſerunt, incurij jam Hiſpanorum. Imò Præfecto navium perſuadere nitebantur, ut, quandoquidem pericula ſuperaſſent Manilæ, quam videbant, propinqui, in terram eos exponeret, ipſi autem cum claſſe in Chinam redirent. Verùm nullâ ſe causâ infracturum Pro-regis & *Inſuanti* mandatum Præfectus reſpondit, dirigenſque ad inſulam curſum ad eam appulit V. Kalendas Novemb. impenſis navigationi à portu *Tanſuſo* ad inſulâ Manilæ,

quæ

quæ mediocri vento diebus ut largiſſimè decem perfici poteſt, diſtantiâ ducenta miliaria non excedente, diebus quinque ſuprà quadraginta.

CAPVT XXXII.

Chinenſes cum noſtris Manilam pertingunt, quos Præfectus Manilæ cæterique magna lætitiâ pompâque excipiunt aliquot diebus, poſt quos in Chinam revertuntur non-perfunctoriè de multis fidei Catholicæ articulis inſtructi & proni ad eam recipiendam.

1. NVntio adventûs Noſtrorum ad Manilæ Præfectum, Mariſcallum, cæteroſque perlato, illorum pariter ac rerum Chinenſium deſiderio, ſolemni illis Centurionibuſque Chinenſibus celebritate obviàm proceſsêre, hoſpitioque ad neceſſariam poſt longa maris tœdia & labores quietem dato & inſtructo, ſequentes dies varijs epulis & Europæis feſtivitatibus, quæ non minus Chinenſibus quàm Noſtris Chinenſes viſæ ſunt admirabiles, tribuerunt. Sola fugæ *Limahonis* memoria lætitiam, ne pleniſſima eſſet, temperabat: præcipuè verò *Omonconem* & *Sinſayum* ea cûra mordebat, feſtinantes regredi in continentem, quòd ſperarent fieri poſſe celeri Præfecti

Chin-

Chincheenſis imperio ut collectâ tumultuariè claſſe & militibus citiùs pyrata opprimeretur quàm ſcaphas refeciſſet. Quare in ſingula momenta navium Chinenſium Præfectum,ut reditum maturaret,urgebant. Reputabat autem ille non eſſe negligendos Hiſpanorum ritus, epulas, amicitiam; obtentui habens navium per tempeſtatē lacerationem & nautarum fatigationes, quas refici oportebat; ſe non ultrà illarum neceſſitates moras protracturum. Pyratæ fuga intimè Mariſcallum coquebat,multò verò acriùs cum infortunium ſucceſſûs trahi in ſuſpicionem infidelitatis ſuæ ac incuriæ intellexit, &, niſi fractæ longâ difficilique obſidione vires ſuorum ardorem repreſſiſſent, dubitandum non erat, quin fugientem celerrimâ perſecutione in mortem aut vincula præcipitaſſet,proprij magis honoris cupiditate, quàm timore elapſi, quem & viribus & militibus ſciebat debiliorē,quàm ut reſiſtere auderet oppugnaturis,aut redire ipſe damna illaturus, cui ſuprema poterat eſſe cogitatio ſe ſuoſque ſalvare, quos odiſſent omnes parati in tyrannorum necem. Horum manus ut evaderet refectis ſcaphis commeatuque ad navigationem comparato ſuos in remotiſſimam inſulam,quò nullus ad quærendum ſequeretur,abduxit.Vbi priſtinæ fortunæ,quæ eum toti Regno reddiderat formidabilē, cum præſenti calami-

 tate

tate comparatione in mœſtitiam ac per eam in morbũ lapſus paulò poſt è vivis exceſſit. Socij crudelitate ſuâ pridem notiſſimi nunc variâ fugâ dilapſi ignorari ſatagebant in quolibet homine ſuum carnificem formidantes, neceſſariâ commutatione ut multos timeant, quos multi timuerunt.

2. Vt ad propoſitum redeat narratio: dùm dies pluſculos Chinenſes recreationibus Manilenſibus exigunt, expectantque favens navigationi tempus, multis fidei Catholicæ Myſterijs PP. Auguſtinianorum zelo & eorum opitulante curioſitate imbuuntur, quibus viciſſim plurima Regni Chinenſis arcana, quæ hactenus illis utpotè peregrinis occultaverant, creſcente utrimque amicitiâ detexerunt. Sub diſceſſum apertis patuit indicijs quàm ægrè à novis amicis avellerentur, quantùmque naſcentem inter duas remotiſſimas nationes Hiſpanam Chinenſemque æſtimarent amicitiam, cui non modò conſervandæ verùm & augendæ, quòd utriſque eſſet utilis, omnem operam promittebant. Præcipuè verò emicuit Præfecti navium adfectus, ſeriò addicentis ſe prolixè Pro-regi *Aucheenſi*, apud quem ſingulari gratiâ pollebat, relaturum egregiam Hiſpanorum indolem, magnanimitatem, benevolentiam, ritus prophanos & ſacros, quorum deſiderio non modicè teneri cœperat: *Limahonis*

item

item fugam, & Mariſcalli cæterorumque Centurionum in proſequenda cuſtodiendaque obſidione integritatem, ad evacuandam *Omonconis* & *Sinſayi*, ſi quid in contrarium propriæ utilitatis impulſu tentarent, fidem. Manilenſi præterea Præfecto ſecretò quædam, quæ promovere conceptam amicitiam poſſent, aperuit. Inter alia unum erat: impetrarent ab Hiſpaniæ Rege ad Regem Chinenſem literas & Legatos aptos & paratos ad legis ſuæ & fidei doctrinam, quo pacto indubitanter nō tātùm amicitia vera ſtabiliretur, ſed inſuper Rex omneſq; ejus ſubditi Chriſtianam fidem ſuſciperent, quòd multas ceremonias haberet ſuis non abſimiles, & modus vivendi Chinenſium à præceptis Decalogi, de quibus ſtudiosè inquiſiverat, non admodum diſcreparet, non aliam ſe quàm in exordio prædicationis Evangelicæ videre difficultatem, quâ ſuperatâ brevi tempore & pronâ inclinatione totum fieret Regnũ Chriſtianum, quòd cultum, quem cauſis ſecundis impendit, non magno negotio ad primam, à qua cæteræ eſſe ſuum operationemque recipiunt, verum ſcilicet Chriſtianorum Deum, transferret: eâ inſuper propenſione in fidem Catholicam ſe eſſe, ut baptiſmo ablui vellet niſi timeret Regni legem inviolabiliter obſervatam, prohibentem ſub pœna mortis omnem alienam religionem à ſua diverſam ſine Re-

gis Regijque Concilij conſenſu, quam pœnam evadere non poſſet niſi perpetuo è patria paternaque domo exilio ac bonorum omnium detrimento. Legem hanc condiderunt non tàm averſione ab alijs religionibus, quàm ſtatus politici moti quiete, quam difficillimè conſervant regna, quæ variarum opinionum pruritus, & cultus divini ac religionum diverſitas impunè diſcerpit. Iſtius legis rigori legis Evangelicæ neceſſitatem multi Chinenſes opponentes, quòd illâ ſola corpora reſque aliquando interituræ deſtruerentur, ſine hac damnarentur animæ in æternum victuræ, ſuſcepto baptiſmo, voluntario ſe in Inſulas Philippinas exilio mulctârunt incoluntque inſulam Manilæ vicinam viri Chriſtiani.

3. Hâc obſequiorum & ſtabilis amicitiæ promiſſione Præfectus claſſis cum *Omoncone*, *Smſayo*, cæteriſque Chinenſibus diſceſsit, plenus fiduciâ futurum brevi, ut una in Hiſpaniarum & Chinæ regnis fides prædicetur. Noſtri etiam in id, quod à Præfecto & proprio experimento didicerant, non indiligenter intenti ad Hiſpaniæ Regem ſpecialem virum, qui iſtarum Inſularum, quas ab ejus nomine Philippinas dixerant, precibus apud eum Legatos & literas ſollicitaret, deſtinârunt. Inculcaret ſedulò, quid Noſtri in China egiſſent vidiſſentque, gentis genium & in fidem Catholicam pro-

propenſionem, Pro-regis *Aucheenſis* & Provincialium Præfectorum in Comitijs, maximèque Præfecti navalis ſuprema promiſſa, iſtius Regni converſio quanti ſit ad Vniverſalis Eccleſiæ Monarchiæque Hiſpanicæ ſplendorem & utilitatem futura momenti, ad eam converſionem, utriuſque nationis judicio, nullum eſſe medium præſtantius, quàm ſi Legati literæque iſto fine ab Hiſpaniæ Rege ad Regem Chinæ mittantur. Nec defuit Catholicus Philippi II. zelus tam inſigni ad animarum lucrum occaſioni, ut latè ſupra executi ſumus. (a) Vbi etiam diximus in quo ſtatu ſint modò in Chinæ Regno fidei negotia.

(a) *part. 1. lib. 3. cap. ult.*

Authoris ad Lectorem epiſtola.

Impreſſione libri abſolutâ, ut non niſi motus proprius ſuæ Sanctitatis requireretur, Kalendis Iulij anno ſuprà ſeſqui-milleſimum octuageſimo quinto ex Hiſpania ad me delatæ ſunt literæ R. P. M. Petri de Rojas Ordinis Auguſtiniani in Provincia Caſtellæ Viſitatoris, & filij Marchionis de Poza, à cujus conditione & religioſa vita abundè cautum eſt veritati eorum, quæ ad me ſcribit, ut Reverendiſſimum Patrem Spiritum Vincentinum totius noſtri ſacri Ordinis Prio-

rem Generalem certiorem redderem à paucis retrò diebus appulſſe navem ex Indijs, quæ literas ferebat P. Andreæ de Agurre Præfecti Provincialis PP. Auguſtinianorum in Inſulis Philippinis. His ſignificabat Regem Chinæ deſiderio ſuſcipiendi fidem Catholicam, quo ipſe ejuſque ſubditi tenebantur, petiviſſe Religioſos, præſertim Auguſtinianos, qui primi in illud Regnum penetrârunt, ut ex toto libro primo ſecundæ partis manifeſtum fit. Nuntia hæc fauſtiora ac lætiora mihi viſa ſunt, quam ut illa potuerim ſubtrahere Chriſtiano Orbi, qui magno ſui zeli ſolatio illa leget libro noſtro adjuncta, reputabitque facilè, quàm pronum hoc modo pandatur iter infinitæ animarum multitudini ad Eccleſiam veramque fidem accedendi. Rogandus Deus ut ſcintillantia corda pleniſſimo ſuæ charitatis igne accendat.

SECVNDÆ PARTIS
HISTORIÆ
CHINENSIS
LIBER SECVNDVS

HVjus libri ſubjectum eſt R.P. Petri de Alfaro PP. Franciſcanorum in Inſulis Philippinis Cuſtodis triumque ejus ex eodem Ordine comitum in Regnum Chinenſe anno 1579. profectio; tùm ſeptem menſium, quibus in China fuerunt, ſucceſſus.

CAPVT PRIMVM.

Patrum Franciſcanorum in Inſulas Philippinas aduentus eorumque deſiderium tranſmittendi in Regnum Chinenſe ad Evangelium illis gentibus annuntiandum.

1. Dies erat Viſitationi Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſacra anno M.D. LXXVIII. quando ex Hiſpania Manilam (hæc eſt Inſularum Philippinarum metropolis) appulerunt RR. PP. Petrus de Alfaro Franciſcanus, futurus illius Provinciæ Cuſtos & cum illo quatuordecim ejuſdem Ordinis Religioſi à Catholico Rege Philippo & Concilio Iudico miſſi, ſuppetias laturi PP. Auguſtinianis, qui ſicut fuerant primi, ita hactenus erant in illis Provincijs ſoli indigenarum converſioni & prædicationi Evangelij inſtantes, zelo quidem indefeſſo, ſed & fructibus uberrimis, quippe qui ante Franciſcanorum adventum centum infidelium millia & ſuprà baptizaverant; reliquoſque Catechiſmis frequentibus præparaverant ad eandem gratiam. Exacto in Apoſtolicis functionibus in Inſulis Philippinis anno Franciſcani Auguſtinianorum æquè ac mercatorum Chinenſium mercimoniorum causâ illuc appellentium

um relatu edocti, quàm innumeræ in Regno Chinenſi animæ ignorantiâ & dæmonum fallaciâ ſeductæ idololatriæ certâ ſui perditione fœdè ſuccumberent, animos ſumpſerunt zelo divini honoris & ſalvandarum animarum deſiderio plenos, ſtatueruntque lucem illuc Evangelicam inferre, etiam propriæ libertatis ac vitæ diſpendio. Propoſitum hoc Inſularum Philippinenſium Regio Præfecto Franciſco de Sandi Doctori aperuerunt, illo certè fine, ut ab eo profectionis licentiam & favorem nanciſcerentur, occaſione, ut arbitrabantur, non contemnendâ, quòd multæ in portu Manilenſi naves natitarent mercatorum Chinenſium, quorum conſortio inſinuare ſe ac in Chinam penetrare tam altè animis impreſſerāt, ut miſerrimam mancipiorum apud illos conditionem non detrectare propoſuiſſent, ſi res ita poſcerent. Verùm cùm Præfectum timidiorem tardioremque, quàm fervor eorum pateretur, experirentur, agerenturque veteris propoſiti, quo ex Hiſpania ſolverant, memoriâ, cui novos inſuper ſtimulos recens cum Chinenſibus, quos ingenio, genio, induſtriâque pollere animadvertebant, contracta converſatio addiderat, reputantibus non immeritò Hiſpanis omnia iſta adminicula fore ad rerum divinarum faciliorem impreſſionem, decreverunt, ſucceſſu Deo precibus com-

 mendato,

mendato, quàmcumque profectionis opportunitatem arripere. Accidit autem paucos infra dies percommoda. Appulit ad Inſulas Philippinas Chinenſis quidam, conditione, ut ferebatur, Sacerdos & Religioſus (quorum eſt ingens in Regno Chinenſi numerus) iſque rerum ſciendarum non incurius: quam ob cauſam freqüens monaſterium Franciſcanum viſitabat, agens cum Religioſis de creatione mundi alijſque, quorum occaſione ipſi, quid de Deo ſentiendum eſſet, aperiebant non tantùm facili, ſed & ſtudioſo auditori, ut non minus ipſe ſecretorum Catholicæ Religionis, quàm Franciſcani rerum in Regno Chinenſi admirandarum voluptate caperentur incenderenturque, ille ad capeſſendam fidem Chriſtianam, hi ad ejuſdem fidei in illud Regnum per prædicationis officium tranſmiſſionem. Ille itaque ſufficienter inſtructus petito à ſe baptiſmate ablutus eſt, non ſuo magis gaudio quàm civium omnium congratulatione, manſitque in monaſterio ſedulus omnium actionũ regulariũ obſervator imitatorque, ut magnã noctiũ partẽ orationi ante Venerabile Sacramẽtum impẽderet, nec aliud pro refectione admitteret quàm crudarum herbarum obſonium. P. Cuſtos autem ejuſque Sodales humillimis fortiſſimiſque denuò precibus Præfecto ſupplicârunt, ut modum licentiamque daret, transferendi

rendi ad Chinenſes Evangelij: quam ſi recuſet ſine ea ituros, abundè Superiorum ſuorum literis, & Chriſti exemplo doctrinâque ad proximorum ſalutem procurandam ſecuros. Nec ſic quidem à Præfecto, ut ſententiam mutaret, expreſſerunt. Ponderare illos jubebat temporis immaturitatem; exiguitatem amicitiæ Hiſpanos inter Chinenſeſque; recens PP. Auguſtinianorum exemplum; ſæpè illos ardenterque in Chinam ingreſſum tentaſſe ſemper aut medijs fruſtratos aut in ipſis illuſos ac in Inſulis per Chinenſes contra datam fidem deſertos, donec miſſus adverſus *Limahonem* piratam *Omoncon* in Inſulas Philippinas delatus, felicibus obſeſſi *Limahonis* nuntijs in Regnum rediturus eoſdem Patres aſſumpſiſſet: nec ſic tamen aut præterire *Aucheum* (a) aut ibi morari novamve ibi Religionem prædicare permiſſos (b): non eſſe dandas novas, quibus à Chinenſibus rideantur Hiſpani, occaſiones: differendum ideò deſiderium, donec Deus ad ingreſſum Regni portam aperiret, quod brevi ſperabat futurum.

2. P. Cuſtos deſperatam videns de Præfecto victoriam, profectionem, quam ejus injuſſu eſſent perfecturi, adornat, ac certus de F. Stephani Ortiz qui in eum finem linguæ Chinenſis ſtudio incumbebat,

S 2 jamque

(a) *Aucheo, civitas.* (b) *vide hæc latè part. 2 lib. 1.*

jamque eam aliquouſque erat aſſecutus,animo, eti:
Joannem Diaz Pardo militem Ordini Franciſca
maximèque duobus illis Patribus impensè addictu
ut in ſocietatem traheret itineris, ſui propoſiti cc
ſcium reddit. Sciebat ſiquidem Ioannem jampride
manifeſtaſſe ſe ad magnum aliquod ſervitium D
præſtandum eſſe paratum, quamquam in id vita
expendere eſſet neceſſum. Patrum conſilium nc
tantùm Ioannes probavit,ſed ultrò ad mortem uſq
ſe comitem addixit. Opportunus omnibus tribus a
executionem viſus quidam Centurio Chinenſis
qui cum nave in portu Manilenſi hærebat, qui no
ſemel in monaſterium Franciſcanorum venerat, al
quid ſemper de Deo rebuſque cæleſtibus inquirens
indicio non tantùm probitatis ingenij, ſed & proper
ſionis in ea quæ dicebantur. Huic mentem aperiunt
operamque exigunt, quam ille addixit non aliud ſti
pulatus, quàm ut nautis honorarium daretur. Spopon
dit pro omnibus liberaliter Ioannes;& mox in cautio
nē futurorum aliquot regales numeravit. Agebāt au
tem ſtudiosè ne quis ad Præfectum alioſve rumuſcu
lus penetraret. Quam-ob-rem feſtinare Centurio
nem voluerunt, ac navem in portu *Bindoro* (viginti
hic leucis Manilâ abeſt) ſtatuere, aſſumpto ſecum
Chinenſi recens baptizato. Nec ſegniter id Centurio
eſ

eſt executus, quem poſt pauculos dies ſecuti ſunt P. Cuſtos, P. Stephanus & miles Ioannes. Verùm quàm facilem antè nacti fuerant Centurionem, tam nunc experiuntur durum, atque ad omnes preces ac promiſſa immotum, ut & acceptum priùs pignus, quò planè ſe anteriori promiſſione exſolveret, reddiderit, non diſſimulanter edicens, nullo ſe pretio adductum iri ut in Chinam illos avehat, quòd non niſi indubitato vitæ fortunarumque omnium periculo eſſet facturus. Hanc Centurionis mutationem non ſine lachrimis vidit Religioſus ille Chinenſis baptizatus, non dubitans eam opus interpretari dæmoniorum converſioni animarum & prædicationi Evangelij invidentium. Eum autem P. Cuſtos conſolatus Manilam redivit, in aliam occaſionem vigilaturus. Hunc paucos intra dies ad ſe venire Præfectus voluit, petivitque Religioſum ſibi dari ad fluvium *Cagayan*, quò Hiſpanorum coloniam à pauco tempore traduxerat, mittendum. Non abnuit P. Cuſtos, ſed quem ipſe in Provinciam de los Illocos, ad quam viſitandam pergebat, comitem aſſumeret, inde eum in *Cagayan* directurus. P. Cuſtos viciſſim in ſecuritatem itineris Franciſcum de Dueñas Signiferum & Ioannem Diaz Pardo à Præfecto poſcebat, animo prorſus obfirmato ex Provincia de los Illocos in Chinam trajiciendi, ob-

tinuitque, ac ſui præterea conſortij numerum P. A-
guſtini de Tordeſillas aſſumptione auxit; qui dein
ſucceſſum profectionis in Chinam ſcripto complex
eſt, ex quo noſtra hæc deſumuntur.

3. In Provincia de los Illocos Evãgelium promu
gabant P. Ioannes & P. Sebaſtianus Franciſcani, cu
illuc pridie Nonas Iunij (a) P. Cuſtos ejuſque com
tatus advenerunt. Poſtridie verò habiti concilij co
cors ſententia fuit per quæcumque pericula te
tandum in Chinam ingreſſum. Erat in dicta Provi
cia alius miles Petrus de Villaroël, hunc jungere ſil
viſum omnibus opportunum: petitum proinde a
conſors ire vellet in opus ad ſingulare Dei obſequ
um, utilitatemque multarum animarum conceptum
nihil nunc ſpecialius poſſe explicari, (verebantur ſ
quidem, ne ſi detrectaſſet, ab eo conſilium illorum
proderetur) id opportuno tempore futurum. Con
ſenſit mox Petrus nullorum periculorum, imò n
mortis quidem exceptione. Quare magnâ omne
alacritate ad navem, quâ ex civitate Manilæ vecti i
Provinciam venerant, contendunt, illatoque, quem
temporis anguſtia permittebat, commeatu, & ſa
crificio incruento Miſſæ præmiſſo, pridie Idus (b)
ejuſdem menſis (dies Veneris erat) manè vela fe
cerunt, vix in ipſo portu, quòd adverſo ac fluctibu

(a) 4. *Iunij.* (b) 12.

agi

agitato neque admodum profundo mari obniteren-tur, naufragium evadentes, atq; reflectere in eundem prorã coacti, ubi totum illũ diem triſtes ſubſtiterunt.

CAPVT II.

PP. Franciſcani comiteſque è portu Illocos ſolvunt, magnis tempeſtatibus jactantur, ex quibus in Deo confiſi eripiuntur, pertinguntque miraculosè ad Chinæ Regnum.

1. POſtero die (erat ille S. Antonio de Padua ſacer) Miſſæ ſacrificio peracto navigationiſque ſucceſſu precibus Deo commendato, per ſpumantes maris nihilo mitioris fluctus è portu excedere laborant majori in Deum confidentiâ quàm prudentiâ. Mox enim in tranſverſam navem ingentes ſe fluctus infundunt, ipſa non ſemel in fundum navis impingit, ut miraculo adſcribendum omnes cenſuerint navem in partes non diſiliiſſe omneſque non fuiſſe mari hauſtos; in quo S. Antonij de Padua interceſſionem commendare non dubitabant, quam calidis votis invocaverant. In flumen ergo, unde ſolverant, magnâ cum undis ac ventis luctâ ingentibuſque periculis regredi neceſſe fuit. Hîc animo cecidit P. Stephanus Ortiz, quem excitare denuò nullæ preces potue-

potuerunt, quin econtrà ipſe conſtanter adfirmab
id eſſe tentare Deum, velle proſequi profectionen
quam omnia indicia teſtabantur nondum Deo eſ
acceptam; quâ ejus oratione non modò turbati om
nes fuère, ſed & nonnulli titubare cœperunt. Fuit i
ſanè P. Cuſtodi permoleſtum, mœrorem tamen h
laritatis in vultu diſſimulatione ſupprimens bono eſ
animo omnes juſſit, omnia eximiorum operum ex
ordia maximis eſſe fuiſſeque ſemper difficultatibu
inſperſa, quas mitigare tollereque perſeverantia &
patientia conſueverunt, ſuo ſe experimento id plurie
didiciſſe. Ita illos confirmare ſatagebat, donec ipſ
ſuper-benedictæ Trinitatis ſolemnitate præmiſſis pe
ſacerdotes ſacrificijs, per ſæculares autem exomolo
geſi & ſanctiſſimi corporis Chriſti perceptione rurſu
ad navigandum, quò inſtituerant, animum applicar
cœperunt: unus in admiſſo ſemel metu perſtitit F
Stephanus Ortiz, hæſitque, apud quem major, quàn
quæ navigationem pateretur, infirmitas Chinenſen
illum Religioſum baptizatum defixit magno alic
rum luctu.

2. Poſtridie tamen repetitis precibus navem rurſu
conſcendentes, magnis licet laboribus fluminis oſti
exceſſerunt, puppi annexam trahentes ſcapham, u
eâ Indos, quos ex Eſquipazon adduxerant, in terran
expon

exponerent, quod tamen tentare evidens ſubmerſionis periculum vetabat. Relicto flumine in exiguam inſulam uno inde miliari abjectã direxerunt, in quam dictos Indos ac adoleſcentem Hiſpanum, qui Manilâ eos ſervitij causâ ſecutus fuerat, expoſuerunt, illis, qui navigationem eſſent facturi, non amplius unam ibi noctem exigentibus. Erant hi, P. Petrus de Alfaro Hiſpalenſis, Cuſtos, P. Ioannes Baptiſta Piſaurenſis in Italia, P. Sebaſtianus de S. Franciſco Baeçâ oriundus, P. Auguſtinus de Tordeſillas in municipio ſibi cognomine genitus, Sacerdotes omnes. Ne plures, quod deſiderabat, comites Cuſtos ſumeret, hæ maximè rationes prohibebant, ne eorum ſcilicet abitus manifeſtaretur, cogereturque ſine Doctoribus relinquere Illocos Provinciam, in qua plurimi erant ſacris undis abluti, quorum causâ aliquos ibi manere voluit, quos poſteà apud ſe habere optaſſet. Milites Hiſpani comitabantur omninò tres, Franciſcus de Dueñas, Ioannes Diaz Pardo, & Petrus de Villaroël; poſtremum Mexico genuerat, primum Velez Malaga, San-lucar de Barrameda medium. Præter hos adoleſcens Chinenſis linguæ Hiſpanicæ peritus, quem in bello contra *Limahonem* cœperunt captivum, alijque quatuor Indi Manilenſes.

3. Ex hac porro Inſula die Iunij 15. is Lunæ erat,

ſummo mane in illam partē, ubi China eſſe illis c
debatur, proram inſtituerunt, nullo nauclero mo
ratore nullâ certitudine, quam non majorem quàm
fiducia in Deum ſuique deſiderij puritate habeba
verùm, quòd adverſis ventis navigarent, toto illo
parùm profecerunt. Sub veſperum Aquilo, ven
ibi tempeſtuoſus mare concuſſit, non exiguo na
gantium timore, niſi ille ipſe alio majori, ne vide
cet aliquod ſuæ profectionis indicium darent impe
renturque à Manilæ Præfecto, ſuperatus fuiſſet, id
que etiamſi portum aliquem eſſe petendum judic
rent, maluerunt tamen alto ſe mari, non ſine inge
ſubmerſionis periculo committere. Naſcente no
ventus ſeſe remiſit, mari tamen turbulento relicto,
que agitatione ac concuſſione navis, ut videretur a
qua dæmonum legio hinc & hinc lateribus navis i
ſiſtere, illaq; alternâ depreſſione ipſis undis ſubmit
re, ut ne nautæ quidem conſiſtere poſſent, ſed funib
inſidentes proximum naufragium formidarent. R
ligioſi ſolitæ in Deum fiduciæ orationem lachrim
que miſcuerunt, rogantes, ne navigationem pro e
honore ſuſceptam pateretur dæmonum invidiâ ir
pediri. Hâc oratione & quibuſdam dæmonum, qu
oculis ſuis videre ſibi videbantur, conjurationib
factum ut poſt noctis medium miteſceret mare, ve
toqu

toque ad occidétem declinante illuc dirigere navigationem poterant, ubi ſciebant breviſsimum in terram firmam trajectum. Favebat is in initio, ſed intra duarum ſpatium horarum tanto impetu inſurrexit, ut memoriâ præteritæ tempeſtatis extinctâ malum præcidere fluctuumque favori committere non magnam navem, exiguâ ſalutis ſpe reliquâ, fuerit neceſſe. Verùm Deus pro cujus honore ampliando profectionem ſuſceperant, periclitantibus ſolitâ benignitate adfuit, ut vento marique compoſito alterius mali in locum præciſi erigẽdi die ſequenti daret opportunitatem, navigationemque, quò cœperant, proſequendi. Veneris die, dum auroræ luce vix diſtingui objecta inciperent, conſpectâ longé terrâ, quòd Chinam crederent, gratias Deo dederunt, gaudiumque omnibus fibris, excluſâ præteritorum laborum periculorumque recordatione, admiſerunt. Illuc ergo directâ prorâ, dum mediâ penè inter orientem occidentemque ſtatione ſol conſiſteret, appulerunt, expoſitique in terram deprehenderunt inſulam eſſe admodum parvam quatuor à continente leucis divulſam, quæ ſolito diſtantiæ errore prorſus indiviſa putabatur. Cùm Inſulæ appropinquarent tantam navium multitudinem detexerunt ut totum tegere mare viderentur. Franciſcani ingenti ſcientiæ, in qua tandem

 plaga

plaga eſſent, deſiderio, recto ad illas curſu contendere voluerunt. At verò iſtæ ad ignotorum velorum conſpectum adventumque fugerunt. Ignota noſtris fugæ cauſa non modicam ſollicitudinem injecit, maximè quòd quo mari quibuſve litoribus viciniores natarent ignorarent. Quapropter ad alias tres, quas non longè à ſe conſpiciebant, naves inflexo curſu, cùm propinquare cernerentur, illæ etiam priorum adinſtar fugæ ſe dederunt. Ita huc illucque, ut regionis notitiam quæſtionibus aſſequerentur, diſcurrendo totum diem irrito labore conſumpſerunt, donec occũbente jam ſole ad litus accederẽt, ubi ex rupe ad cẽtum hominum altitudinem exciſa fons duobus humanis corporibus groſſitie non impar devolvebatur. Ibi & tres naves repererunt, à quarum vectoribus cùm de ſitu, conditione, nomine ſciſcitarentur, non aliud poſt fixum cum admiratione intuitum obtinuerunt, quàm quòd egregiè ab ijs riderentur. Ita noctem totam in priore ignorantia tranſigere coacti.

4. Ad auroram ſequentis diei, qui Sabbatinus fuit reſumptâ navigatione intra quaſdam inſulas ferebantur, illuc ſemper curſum dirigendo, ubi continentem ſe iuventuros arbitrabantur; admirati ubique navium, quarum quædam piſcabantur, aliæ expanſis veli

mar

maris tergum ſulcabant; plurimæ in portubus quieſcebant, multitudinem. Sub meridiem res illis accidit miraculoſa aut miraculo ſimillima. Inter continentem inſulamque maris fauces intercurrunt latæ non amplius mediam leucam: Has perpetim octuaginta navium claſſis cuſtodit, inter illas mediâ die Hiſpanorum navis tranſmiſit, nulli viſa, alioquin certò certiùs, occiſis vectoribus vectiſque, demergenda, lege gentis, quâ omnes exteri ad litora Chinenſia accedentes jubentur aut demergi aut mactari, niſi acceptâ à Gubernatoribus licentiâ eximantur. Legis occaſionem Iapones, qui portus Chinenſium intrantes veſtitûs linguæque ſimilitudine ſe indigenas mentiti, magnis ſæpe incommodis Regnum affecerunt, aut parvis exploſerunt, dediſſe putantur, prout prolixè libro ſuperiore eſt narratum. His faucibus emenſis juxta litus navigaverunt formoſiſſimum ſex leucas protenſum inſequendo naves, quæ ante illos expanſis velis ferebantur; reputabant ſcilicet illas portum aliquem petere, in quo longo ſuo noſcendæ regionis ac maris deſiderio ſatisfacerent. Ad ſecundam leucam navem unam aſſecuti per interpretem quærebant quò tenderent, quæ terra in conſpectu emineret. Navium à ſe invicem diſtantia cauſa fuit, ut non niſi geſtus perciperentur, ideoque principalis, qui

Chinenſi nave vehebatur, in annexam puppi ſcapham ſe demiſit, ut propiùs ad peregrinam navem accedens, clariùs, quod quærebatur, perciperet, cognoſceretque. Externorum congreſſu ſufficienter inſtructus reſpondit ſe Chinenſem eſſe, navigium verò ſuum ſale *Chinchei* (a) oneraſſe, quem venditum ibat *Cantoni* (b) adeò propinqui, ut ſub veſperum illuc appellere cogitaret. Navem porrò conſcendens cum in illa Franciſcanos, comiteſque videret, ac ignotam veſtem linguamque miratus, *cujates eſſent, unde venirent, ac quò tenderent*, ſollicitè quæſivit. Reſponſo autem interpretis intellexit eſſe Caſtellanos, (notum jam ob Inſularum Philippinarum vicinitatem nomen erat) venire ex ipſis Inſulis Philippinis, ac tendere in Chinæ regnum ſanctum Evangelium prædicaturos. Poſt quæ, *cujus licentiâ tam propè acceſſiſſent*, anxiè mirabundèque ſciſcitatus, cùm intelligeret, nullius, multò magis obſtupeſcens denuò, *quomodo per claſſem*, de qua diximus, *tranſmiſiſſent*, interrogavit. Reddidit interpres *nullo prorſus impedimento*. Tum ille attonito ſimilis in ſcapham ſuam inſiliît, magniſque viribus à noſtra nave abreptus in ſuam properavit, illud unum noſtrorum precibus concedens, quòd ſignis ſe oſtenſurum, quo curſu in portum Cantonenſem pergeretur promitteret. Conſortium verò declinavit pœnæ

(a) *Chincheo civitas.* (b) *Canton civitas.*

ec

eos, qui exteros in regnum invehunt, conſtitutæ rigore conterritus, ne ſcilicet ex ſimultaneo ingreſſu ejus reus haberetur. Ideoque cùm mediâ non amplius leucâ abeſſet ab oſtio fluminis, conversâ in altum mare prorâ ab exterorum ſocietate ac mox etiam è conſpectu eorum ſe proripuit. Hiſpani verò invariato curſu pergentes, paulò antequàm Sol occumberet, ingens flumen conſpexerunt duobus oſtijs in mare decurrens, cumque ſiniſtrum rectius videretur & vento, quo ferebantur opportunius, illud ingreſſi ſunt. Non amplius quàm leucæ quadrante perrexerant, cum tanta navium multitudo ipſorum oculis eſt objecta, ut ingens oppidum credi potuiſſet: quæ omnes, quòd peregrina vela cernerent, magno tumultu fugerunt, quaſi adeſſent qui ignem illis immitterent, demergerentve. Fugæ cauſam ſeipſos noſtri arbitrati contractis velis in fluminis medio anchoris projectis noctem illam agere ſtatuerunt, procul ab alijs navibus ſejuncti.

5. Sequens dies Dominicus erat menſis Iunij vigeſimus primus. Leuant noſtri anchoras, & ſcandere per brachium, quo cœperant, connituntur. Hoc mox alteri jungebatur, & jam non flumen, ſed mare præ latitudine videbatur. Aſcendebant deſcendebantque naves ac ſcaphæ quàm plurimæ, non aliud ſciſcitantibus

tibus Hiſpanis, quantùm inde portus abeſſet, quà
riſum reddentes aut peregrini habitûs admirationei
Poſt duarum leucarum navigationem turris apparu
altiſſima ſpecioſiſſimaque, atque ad eam ingens n
vium numerus, ad quas rectà curſum direxerunt. V
que in oppoſitum turris promouiſſent, portum vid
runt arte ad opportunam navium receptionem pr
paratum, illique naves alligatas. Verùm cum ad po
tûs cornu perveniſſent, veriti ne in ſe tormentum al
quod exploderetur, vela more in Hiſpanijs uſita
contraxerunt, hæc paulò poſt, cùm nullum ſeu e
turri ſeu ex navibus prohibitionis indicium ſentiren
rursùm levantes, atque inter alias naves immittent
in portum; expectaturi ſi quis ad illos exploratu
excurreret.

CAPVT III.

Franciſcani ac ſocij ad civitatem Canton pertingunt: pro deſid rij adimpletione gratias Deo agunt: viſitantur à Iudice, cum quo prolixo ſermone diſcurrunt.

1. CVm poſt juſtam temporis moram nullus,q
exploraret, accederet, injectâ in aquas leml
terram petunt conſcenduntque, in qua genufle
ſole

ſolemnem SS. Ambroſij & Auguſtini hymnum, Te Deum laudamus, inſigni devotione decurrentes, Deo, qui abſque nauclero humanaque navigandi peritia illos in Chinam tot votis concupitam miraculosè deduxerat, gratias reddiderunt, atque ad portûs ripam, ad cujus latus ædiculæ erant funium nauticorum cuſtodiæ deputatæ, deambulantes, portam civitatis, quam quærebant, eo ſpatio, ad quod quartâ ſclopeti exploſione pertingi poſſet, invenerunt ingentem, ſumptuoſiſſimam, pulchram ac fortem. Genuflexio mox ut in terram aſcenderant, idiomatis, veſtium, morumque ab indigenarum diverſitas ſuâ novitate frequentiſſimum undique populum ad ſpectaculum excitavit, ac poſt eos traxit, iſto certè eorum ut videri poterat commodo, quòd portarum cuſtodes multitudini permixtos non animadverterint, inſolito concurſu ſat ſuperque turbati. Edocti tamen tanti concurſus cauſam fuiſſe gentem extraneam, ignotamque, prætergreſſos in civitatem citato curſu inſequuntur, aſſequunturque conſiſtentes in magnarum ædium, in quibus ordinarius eſſe ſolet maritimi Magiſtratûs conventus, veſtibulo, ibique arreptos rurſus extra portam, nullâ aliâ illatâ moleſtiâ, cogunt, jubentque morari, donec indicio adventûs eorum ad civitatis Præfectum perlato, ingrediendi licentiam àb eo obtinuiſſent.

nuiſſent. Tantæ diligentiæ cauſa fuit, formidabant ſcilicet cuſtodes ne ipſi ob ingreſſum peregrinorum incuriæ culparentur plecterenturque pœnis, quibus obnoxij ſunt, qui exteros introducunt intromittuntve, graviſſimis. Ante portas pluſculùm expectantes convenit Chinenſis quidam (*Canguin* dictus Luſitanicæ linguæ peritus, qui ex faciei habituſque formâ incunctanter eos Chriſtianos judicans, quid quærerent, linguâ Luſitanicâ ſciſcitabatur. Reddiderunt noſtri, ſe in Chinæ regnum profectionem moleſtiſſimam æquè ac periculoſiſſimam ſuſcepiſſe, ut incolis cæli viam monſtrarent, docerentque veri Dei, qui cælum ac terram condidit, notitiam; deſiderare porrò ſe ſuper ea re Præfectum civitatis convenire. Quo intellecto Chinenſis alium mox ejuſdem nationis ſed linguæ Luſitanicæ callentiſſimum, cujus uxor proleſque erant Chriſtianæ, (quod poſteà ſcitum fuit) adduxit. Habitaverant illi natione licet Chinenſes inter Luſitanos in civitate Machao, quæ *Cantono* (a) leucis abeſt viginti, tres omninò annos. Sciſcitatus quod prior, idem etiam retulit reſponſum. Interrogavit deinde quo nauclero aut duce fuiſſent advecti. Divinâ, inquiunt, directione, ignari certè artis navigandi ac maris poſt aliquot, quibus navigavimus, dies huc appulimus, ſumuſque, ut nobis dicitur, *Cantoni*, cujus civi-

(a) *Canton.*

civitatis laudes non-ſemel audivimus prædicari. Poſt hæc quæſivit, quomodo claſſem in faucibus, ut ſupra dictum eſt, maris excubantem tranſiviſſent. Nullas, aiunt, moleſtias ſenſimus, nullas vidimus vigilias quæ aliquod noſtræ navigationi impedimentum injicere fuerint conatæ. Mira hæc ipſi videbantur, præcipuè verò quæ de præterita innoxiè claſſe dicebamus. Ipſe verò officiosâ nobis voluntate impulſus redire nos in navem juſſit nec inde egredi, donec adventum noſtrum maritimo Magiſtratui (Mandelines patriò vocabulo appellant) ſignificaſſet, ipſeque Magiſtratus Præfecto civitatis, à cujus nutu admiſſio rejectioque dependet.

2. Conſilio parentes naves repetunt, æſtuſque tolerant maximos, ideoque omnis erat expectantibus mora difficilis. Intereà vident è porta efferri hominem ſede portatili pluribus comitatum, adeoque ſpeciem præſeferentem inſignis authoritatis. Hic in ædibus portæ vicinis ſubſiſtens venire ad ſe Religioſos ſocioſque juſſit. Præcedebat tabellam geſtans nigris characteribus conſcriptam, quam poſteà ſciverunt licentiam fuiſſe Gubernatoris, ſine qua vetitum omni extraneo terram contingere. Sequuntur illi Gubernatoris miniſtros tantâ concurrentium ad peregrinæ gentis ſpectaculum multitudine ſepti, ut viam interclude-

cluderent laborarentque ſatellites fuſtibus tranſitu
aperire, quapropter in brevi via multum fuit temp
ris abſumptum. Accedentes monentur á miniſtris
genua procumbere, procubueruntque nullâ contr
dictione. Sedebat ille diuite throno eâ faciei corpor
que totius majeſtate, quæ admirationem noſtris ing
reret, eò majorem, quod intelligerent illum nec G
bernatorem eſſe nec aliquem ex Iudicibus ſuprem
Tunicâ veſtiebatur byſſinâ à ſummo deorſum clau
largis manicis, quam cingulo conſtrinxerat clavoru
capitibus conſperſo, ornatu non abſimili, quem Eu
ropæi cultiores ſedibus adhibent. Caput pileo texera
pendulis hinc inde lacinijs, quales in mitris videmu
Epiſcoporum. Ante eum menſa erat cum charta & a
tramento impoſitis. Ad vtrumquè latus miniſtri velu
in cuſtodiam ordinatim conſiſtebant, nullis quiden
armis muniti, ſed ſinguli arundinem tenentes quatuo
digitos latam, craſſam duos, quibus reorum ſura
quatiunt, crudeli prorſus ſupplicio, ut in anterioribu
libris prolixiùs enarravimus. Capitis tegumentum
galeæ formâ non abſimile erat ex corio nigro quod
longis ex pavonum cauda plumis contexerant, in-
nexis ex ære numiſmatibus, quod eſt carnificum in
China geſtamen.

3. Dicti Iudicis hæ erant in ſumma quæſtiones per

inter-

interpretem propoſitæ, Ex qua gente veniſſent, qua de cauſa, quo ductore. Caſtellani, reſponderunt, ſumus Philippi Regis Catholiciſſimi ſubditi. In hoc porrò regnum venimus, ut ſanctum vobis Evangelium annuntiemus, ingeramuſque veri, qui cælum terramque creavit, Dei notitiam, ut eum ſanctamque ejus legem, quam Vnigeniti Filij ſui ore homines docuit confirmavitque prodigijs cæleſtibus, projectis idolis meriſſimis hominum figmentis, colatis obſervetiſque. In his vera conſiſtit, & in nullo alio, animarum ſalus. Idem ille Deus, cui omnis obedit tanquam ſuo authori creatura, ductor nobis in hoc regnum fuit, nec alium novimus habuimuſve.

4. Interpres fidelitatem quæſtui, quem ex peregrinis ſperabat, poſthabens hoc Caſtellanorum reſponſum non ex fide, ut poſteà ſcitum, retulit, ſed magis prout ſperatorum munerum cupiditati patrocinari videbatur, non ignorans verum reſponſi ſenſum fore Iudici per-quam odioſum, quo moveretur ſi non ad inferendum damnum aut pœnam, certè ad mox è regno dimittendum, adeoque omnem ſibi quæſtus occaſionem præſcindendam. Dixit itaque interpres. Advenas illos Religioſos eſſe aſperam & in communi vitam tranſigentes, quales in noſtro Chinenſi regno

 ſunt

ſunt plurimi,cumq; ex inſula *Luzon* in inſulas Illocos navigarent,exortâ tempeſtate navem quâ vehebantur cum ijs quos vehebat undis fuiſſe abſorptã:hos verò ſe in exiguam hanc navẽ,quæ principali fuerat alligata, immiſiſſe,præciſoq; fune,ſine nautis aut Gubernatore qui omnes perierant, ſe ventis ac fortunæ commiſiſſe ac poſt varios caſus naufragiorumque pericula fuiſſe projectos (cælo ita dirigente) in illum portum, cujus etiamnum nomen ignorarent. Percunctabatur deinde Iudex ubi adoleſcentem Chinenſem , quem comitem habebant interpretemque, accepiſſent. Ad quod Caſtellani ex veritate, Adoleſcens , ajunt , in inſula *Luzon* mancipium erat cujuſdam Caſtellani, à quo eum emimus miſimuſque in libertatem : Hic cùm ſciret ſtatuiſſe nos in Chinæ regnum tranſmittere , aſſumi rogavit in conſortium:eique facilè annuimus non ejus tantum causâ, ſed & noſtrâ , ut per eum apud gentem, cujus linguam ignorabamus,animi noſtri ſenſa poſſemus aperire. Quæ alius ille, qui cum Iudice erat,interpres veritus ejus offenſionem ſi intellexiſſet Chinenſem Chriſtianorum fuiſſe ſervum, in hunc modum falsè deflexit, Adoleſcens iſte ante annos octo è China in nave mercatoria, quæ Inſulam *Luzon* petebat,egreſſus, è naufragio, quo omnes perierant comites , natatu ad quandam inſulam pervenit, ubi

ubi hactenus in captivitate hæſit. Cumque ad eandem inſulam, ut dulces aquas ſumerent, Caſtellani appuliſſent, eorum decrevit fortunam ſequi potius, quàm perpetuam pati captivitatem. Omnes has falſitates ad nequitiæ ſuæ velamen interpres ille invenit, & ut Religioſorum non aperiret Iudici voluntatem, quàm ipſe, antequam à Iudice vocarentur, ſciebat pleniſſimè.

5. Interroganti rurſum Iudici, quid navi ſua advexiſſent, dixerunt cappam unam, duos librorum faſciculos, atque ad dicendum miſſam paramentum, ac prætereà nihil. Hæc interpres, quòd ſciret ſumendum mox experimentum, fideliter explicavit. Nec mora, omnia fuerunt jubenti Iudici allata. Scrutatus eſt ille ſingula; &, quia peregrina inſolitaque, miratus, editis etiam oblectamenti, quod ex eorum, notanterque imaginum viſu percipiebat, ſignis. Suprà omnia verò altare portatile placebat ex lapide nigro diaphano ac perpolito, à quo rerum imagines non ſecus atque à ſpeculo reddebantur. Hunc Patres advexerant è regno Mexicano, quod ijs, præcipuèque Provincia *Mechuacan*, abundat. Verùm quod ſicca omnia nulloque immerſionis veſtigio notata videret, recordareturqúe naufragij, quod interpres dixerat fuiſſe paſſos, ex quo non niſi natatu evaſiſſent, mendacij ſuſpicionem

nem concepit,propoſuitque difficilem dictorum connexionem. Interpres veritus ne hîc explicationis anterioris fallitas detegeretur, conſtantis animi ſimulatione multa exteris dixit multa ab illis audivit, ſed planè ab hoc, quod quærebatur, diverſa. Deinde callidè ad Iudicem converſus feciſſe ajebat hos advenas quod ſolent in præſentibus ſubmerſionis periculis mercatores, qui vilioribus neglectis toti in ſalvandis pretioſioribus mercibus incumbunt: non aliter illos Religioſos, qui præcipuum in libris & ornamentis ſacerdotalibus theſaurum conſtituebant, principale in eorum converſatione ſtudium laboremque collocaſſe. Acutiùs iſta interpres quàm veriùs, quæ omnia poſteà Caſtellanis innotuerunt.

6. Deinde etiam,an nulla ſecum arma advexiſſent, quæſitum. Reddiderunt Religioſi vetita hæc eſſe profeſſioni ſuæ, quâ Deo ſe perpetuâ paupertate, caſtitate atque obedientiâ Superioribus præſtandâ obſtringebant. Si paupertatem, ait Iudex, voviſtis obſervatiſque, unde victus vobis ac veſtitus, unde libri & ornamenta ſuppetunt. Dona ſunt hæc, replicant illi, ſæcularium Chriſtianâ nobis charitate ſuccurrentium ut nullis terrenis occupationibus diſtracti ſine impedimento Deo ſerviamus, rogemuſque pro ijs ut inter ſæcularium negotiorum æſtus aut inculpatè vitam tranſi-

tranſigant, aut delicta, ſi quæ fragilibus obrepant, corrigant. Ad hæc, quæ invariatè ab interprete referebantur, miratus non ſine compaſſionis ſenſu Iudex, nondum planè fidem omnibus adhibuit, voluitque præſens cognoſcere. Ad navem ergo ſe ferri juſſit, ac pergere ſecum noſtros; comitabantur, non tantùm ſatellites ſed & populi turba, quã curioſitas exciverat, propè innumera. In navi conſedit, ejuſque nutũ omnes anguli explorantur, ſed non invenitur, niſi orizæ pauxillum, quod navigationi ſuperfuerat. Tum palàm omnibus, qui in navi erant, audientibus dixit, veraces hos in omnibus comperi, quin &, ſi de genio gentis in cæteris conjicere licet, bona eſt ſinceraque, ac in vivendi ratione, veſtitu, barba, capillitioque noſtris Religioſis non abſimilis. Poſt quæſtiones, ad quas ex officio tenebatur, deventum ad curioſas: quæ quia de cælo erant, illuc noſtri oculos intenderunt, lætitiâ Iudicis ſingulari, fortè quòd ex hoc arbitraretur à noſtris cælum pro Deo, more Chinenſium, coli. Ita è navi exceſſit, Caſtellanis in ea manere juſſis, & conſtitutis in portu ſatellitibus magis ad advenarum ſecuritatem quàm cuſtodiam, quippe qui omnem mali ſuſpicionem fuerant amoliti.

7. Tanta toto illo die ſpectatum peregrinam navem gentemque multitudo accurrit, ut ipſis etiam

Religioſis eſſent oblectamento, ſpe meſſem, quæ in illis promitti videbatur, reputantibus.

8. Poſtridie alter ad eos Mandelinus ſeu Iudex acceſſit, comitatu majeſtateque quidem egregiâ, aliquanto tamen quàm præcedens, minore. Hic rurſus luſtratâ ſtudioſè navi non alia, quàm alter, invenit; & eadem fuit, quæ ipſe, miratus, imagines, libros, maximeque altare lapideum. Religioſorum aliquem ex libris legere voluit, ac ſcribere: præſtitum vtrumque eâ facilitate, quæ alteri delectationi eſſet. Percunctanti ſi illis characteribus aliarum etiam gentium linguas exprimere poſſent, adfirmarunt, ac mox verba aliquot linguæ Chinenſis eiſdem literis efformârunt. Stupuit ea videns Iudex comitibuſque dixit, non ſunt hi, ut video, barbari, ſtupidive. Quibus ad Gubernatorem per hunc relatis, mox ille licentiam intrandi in civitatem miſit in tabellâ more gentis notatam.

CA-

CAPUT IV.

In civitatem admiſſi Sacrum in ædibus Chinenſis Chriſtiani dicunt: alia nonnulla quæ ipſis acciderunt.

1. NEc ſegniter dicta licentia uſi mox è navi in civitatem pergunt undique ſpectatorum concurſu ſepti, quem vix perruperunt, ad ædes Chinenſis Chriſtiani contendentes, ubi humaniſſimè ab eo recipiuntur. Is erat quo interprete apud Iudicem, de quo cap. præcedente, uſi fuerant, promptiore quàm fideliore. Aſſeverabat tamen ſe cuncta ex eorum mente, magnâ ſinceritate propoſuiſſe, promittebatque effecturum ſe per Mandelinos, ut facultatem à Præfecto conſequantur morandi in China, certaque domus eorum habitationi aſſignetur. Suadebat nihilominus ne propoſitum de Chriſtianâ fide introducenda publicarent, addiſcendam priùs linguam, tùm illos non magnâ difficultate conſecuturos, quod vellent. Patuit verò temporis decurſu, tam ampla promiſſa non minus quàm infidam, quam antè fecerat, interpretationem ad meriſſimum fuiſſe quæſtum relata. Arbitrabatur nimirum rem tanti momenti à venientibus è terra divite non fuiſſe ſine pecuniarum,

quæ ad longi temporis habitationem muneraque neceſſaria ſufficerent, copia ſuſceptam. Ejus tamen avaritia & infidelitas, magna pars felicitatis noſtrorum fuit. Etenim ſi, quod noſtri apertè dicebant, ipſe veraciter explicaſſet, aut terrâ prohibuiſſent, aut conſtrinxiſſent carcere, aut agendo mitiſſimè compuliſſent regredi. Poſtremum etſi non Iudicum immiſericordiâ, certè rerum occurſu indubitata noſtrorum fuiſſet pernicies. Rerum occurſus is erat. Noſtri, ut diximus, per fauces maris claſſe egregriâ cuſtoditas tranſierant ab illa non percepti: rogati non ſemel id confeſſi fuerant: Idem ſeu famâ vulgante, ſeu referentibus qui audiverant, ad Præſidis Concilij bellici (*Aytoa* ipſi vocant) aures pervenit: Is quæſtione ſecretò inſtitutâ de veritate edoctus Centuriones claſſis crudeliter fuſtigatos, bonis omnibus proſcriptis, perpetuo carceri adjudicavit. Præſidis ſeveritas noſtrorum non culpâ, ſed occaſione exercita conſanguineos illorum amicoſque totamque penitus claſſem exacerbavit. Et quia ſe ulciſci de Præſide maximarum in illo regno pœnarum timore nô poterant, æſtuantem iracundiâ animum in advenas faciliùs injuriæ obnoxios effudiſſent, ipſo iterato per claſſem tranſitu vindictæ opportunitatem tributuro. Verùm infortunium interpretis malitia detorſit.

2. Diem

2. Diem illum pluresque ſequentes in ædibus Chriſtiani illius Chinenſis exegerunt, noctibus omnibus ad navem regreſſi, quod ita Mandelinorum aliquis mandaverat, tùm ne res ipſorum ignotæ gentis cupiditati, nullo defenſore, paterent.

3. Quartus ab ingreſſu in civitatem dies Præcurſori Chriſti ſacer in omnibus deſiderium excitaverat ſeu dicendi, ſeu audiendi Sacri. Itaque omnibus laborantibus extructo in ædibus illius Chriſtiani altari, paniculiſque ad Sacrificium ritè coctis, ab uno Religioſorum litatum fuit, reliquis omnibus ab ejus manu ſacram hoſtiam ſumentibus, lætitiâ incredibili & priſtini ad Evangelij prædicationem vigoris confirmatione.

CAPUT V.

Vocantur ad Iudicem, ab illo examinantur; ille in eorum favorem ſcribit ad Pro-regem, qui eorum cauſam Aytao diſquirendam committit, apud quem à Præfecto Machaonenſi tanquam exploratores traducuntur; aliaque nonnulla curioſa.

1. MIſsâ peractâ eodem die ab alio Iudice præcedentibus, ut dicebant, digniore vocantur, ante quem conſuetudine regni, genuflectere

à miniſtris moniti, quod durum omnibus præcipueque Sacerdotibus videbatur, iiſdem pænè quæſtionibus, quibus priùs, examinantur. Summa verò reſponſionis erat veniſſe ſe ad prædicandum Evangelium, ideò ſupplicare, ut facultatem det morandi in civitate Cantonenſi, ut idioma regni perfectè addiſcere poſſint, quò clariùs illi tradere cæleſtem veritatem ſint apti. Hæc ab interprete falsò in hunc modum relata, quòd, quandoquidem infortunio ſuo in illas terras eſſent projecti, vivere inter indigenas ſtatuiſſent, etiam in conditione ſervili, cum, licet vellent, redire ad Inſulam *Luzon* ſeu Manilam non poſſent naucleri defectu & ignorantiâ maris. Quam eorum calamitatem non ſine miſerationis manifeſtatione Iudex audivit, juſſitque, quæ nave advexerant, ad ſe adferri. Huic etiam, uti prioribus, admirationem injecerunt imagines impreſſæ & ex nigro jaſpide altare: ex admiratione ſecutum habendi rem apud ipſos ignotam deſiderium, ex quo duas ab ipſis imagines ſibi dari popoſcit; quod non inviti præſtiterunt, ſenſeruntque ex hoc humaniſſimum. Nam & humi ſtratos levare ſe juſſit propinavitque (quod ab adſtantibus Chinenſibus ſingulare beneficiùm habitum fuit) certum potûs ex herbis confecti, atque, ut ipſi habent, ſalutiferi genus, quod frequenter Chinenſes & ſine ſiti hauriunt.

Huic Iudici interpres perſuaſerat noſtrorum quoque exercitiorum partem eſſe curare infirmos & mortuos ſepelire. Quo audito, palmâ in antepoſitam menſam fortiter incuſsâ, ad inferiores Iudices velut obſtupeſcés exclamavit: Quàm iſta gens bona eſſe apparet, volupe mihi eſſet meâ ipſis authoritate, quod petunt, tribuere niſi regni legibus rigoroſiſſimis vetaretur. Hæc noſtri poſteà ex interprete intellexerunt.

2. Dum hæc apud Iudicem gererentur, intravit Chinéſis quidam mediocris conditionis civis ſanguine recenti conſperſus, qui in terram ante Iudicem prolapſus incompoſito planè ſermone querebatur, poſt rixas, alapas ſibi ab alijs concivibus fuiſſe impetuosé, ut ſanguis effuſus teſtabatur, impactas. Mandat ille, ut quantocius rei adducantur. Volant ſatellites Domini imperio non tardiores, ac mox tres Chinenſes brachijs præhenſos in tribunal adducunt: inquiſitioneq; ſummariè ac verbaliter habitâ Iudex unumquemque pœnâ viginti ictuum damnavit, quam ſatellites infligere parantes, reos diabolicâ crudelitate in terram pronos conjiciunt; nudant caligis, ſuralque pedum arundine, de qua ante dictum, feriunt, ut Religioſi noſtri miſerorum calamitate moti ad Iudicis pedes provoluti ſignis pro Dei amore rogarent illis ignoſci, Ille quindecim ictus ex viginti demi dictis precibus conceſſit.

3. Sum-

3. Summæ illi admirationi fuit dictorum Religioſorum paupertas & vilis aſperque veſtitus: Suprà modum verò quòd anguſtias, de quibus non ſemel mentio eſt facta, tam ingenti claſſe cuſtoditas tranſmittere potuiſſent à nemine obſervati, quod non niſi cæleſti virtuti adſcripſit.

4. Talibus ſermonibus examineque finitis redire Caſtellanos ad navem juſſit benignè promittens ſe Pro-regi, qui triginta inde leucis aberat, adventum eorum indicaturum, nulli ſuſpicioni obnoxium; neque quidquam à ſua dignitate facturum alienum, ſi illos ad ſe venire permittat. Nec defuit promiſſis, poſt paucos enim dies ſcitum à noſtris Pro-regem exterorum cauſam detuliſſe Iudici cuidam, quem *Aytao* appellant, cui ex munere incumbit diſquiſitio tota advenarum. In tabellis porrò datæ commiſſionis hæc continebantur. *Scriptum mihi Cantone eſt appuliſſe illuc homines rigidiſſimè veſtitos, in eoque noſtris Religioſis, qui deſerta incolunt, non abſimiles: non advexiſſe arma aut quidquam ex quo ullus mali propoſiti metus enaſci poſſit. Veſtri muneris erit illos examinare; quod præſtabis non perfunctoriè, ſtatuesque quod ſatius reputabis, ac nos reddes eorum, quæ à te facta fuerint, certiores.*

5. Eâdem ſancti Præcurſoris ſolemnitate, quam ob ſacratiſſimæ hoſtiæ ſumptionem hilares noſtri age-

bant,

bant, venerunt ad navem interpretes, qui nullâ jam cupiditatis diſſimulatione dicebant ſatis illos cognoviſſe & labores pro ipſis ſuſceptos & pericula, quibus quotidie ipſorum causâ objiciebantur, pro quibus ſe nunc mercedem petere & ratione conſentaneum eſſe eam ab ipſis dari: quam ſi detrectarent, ſe etiam omnem ipſis opem in poſterum negaturos. Reputarent porrò ſuæ opis neceſſitatem ex ipſis rei momentis ac experimento præteritorum: deeſſe in terra longinqua & ignotæ linguæ ſeveriſſimarumque adverſus peregrinos legum qui auxiliari illis poſſit ac velit: ſine ſe carceres non fuiſſe evaſuros, aut ad redeundum, ut mitiſſimè, fuiſſe compellendos: ſibi tribuendam eſſe Iudicum erga ipſos benevolentiam. P. Cuſtos perpendens & maximè ſibi neceſſariam interpretum operam & indeclinabilem eorundem cupiditatem, ſupremo remedio, alterum illis calicem tradidit in pignus ſolutionis, monens ſeriò ut eum ſervarent tractarentque eâ veneratione quæ ſacris rebus, atque iſti præſertim, quæ ſanguinis Chriſti conſecrationi eſt dedicata, debetur. Hunc interpretum principalis vix acceptum aurifabro, quàm potuit plurimo, vendidit, nihil de conſervatione pactus; ſed emptoris arbitrio ad quodlibet opus próſtitutum. Auctâ inſuper commodo cupiditate famulum Chinenſem, quem

Caſtellani pro interprete adduxerant, adgreſſus omni blandimentorum genere elicere tentabat ſi argentum, aurum, gemmas ſeu quidquam aliud pretioſum advexiſſent. Quo negante, animum applicuit, ut ſecundum, què ipſe viderat, calicem extorqueret. Vehementiore itaq; quæ jam dixerat, oratione repetivit, addens expẽſas à ſe in illorum ſuſtentatione factas duodecim *taes** (hoc monetæ genus eſt ducato Caſtellano par) pretio venditi calicis eſſe majores, quas ſub initium gratis ſe facere ac in eleëmoſinã pro Dei amore aſſeruerat, ægrè ferens nõ ſemel quòd Religioſi vilibus cibis cõtẽti à delicatioribus abſtinerent, animãſq; ad quoſlibet ſine diſcretione ac ſollicitudine ſumendos, ſe, ſi media deficiant, filium oppignoraturum. Ad hæc P. Cuſtos, non obſcurè detegens ejus avaritiam in alium illum calicem collimaſſe, reſpondit, nihil, quod daret, ſibi ſupereſſe, traditum illi pro victu laboribuſque calicem rebus omnibus chariorem, cuique theſauros opulentiſſimos, ſi habuiſſent, nullâ deliberatione poſtpoſuiſſent, æſtimationem hanc non materiâ aut pondere, ſed conſecratione ad cultum divinum tribuente. Cum his venerationis monitionem repetebat. Si non habetis, reddit inſulſiſsimè interpres, ut habeatis facitote; à Vobis ſolvendum quod per vos conſumptum; ſcitote regni hujus legem eſſe, ut qui cre-

* *Valorem huius monetæ vide 1. p. lib. 3. cap. 4.*

creditoribus ſatisfacere non poteſt, filios vendat aut ſeipſum illis tradat in mancipium. Ego alterum calicem poſco, cum prior non niſi ſexdecim *taes* pondere fuerit æqualis, nondum juſta ſolorum laborum & interpretationis merces. P. Cuſtos verò, patientiam ut haberet, precabatur, addicens ſe pro victu laboribuſque ex integro, ubi data eſſet commoditas, ſatisfacturum: ſignificaturum ſe Luſitanis, qui Machao habitant, prementem hanc neceſſitatem cum precibus ut illi per eleëmoſinas ſuccurrant, ac ſe, quidquid miſerint, modicum aut multum illi daturum. Interpres in ſolum quæſtum intentus, ut citiſsimè ſcriberet juſsit, promiſitque ſe curaturum ut literæ illuc ferantur, referaturque reſponſum.

6. Quod nunc avaritiæ ſuæ impendere ſatagebat, ſimile paucos ante dies obſequium præſtiterat precibus P. Cuſtodis, dum hic Epiſcopo, qui Machao degebat, ſuum ſuorumque comitum in civitatem *Canton* adventum, communeque omnium de prædicando ibi Evangelio ac illuminandis Dei ope idololatris propoſitum indicavit. Probatum id Antiſtiti fuit, fortiſsimâque illos ac ſanctiſsimâ oratione animando, Brevis Pontificij, quo omnis illa plaga illi ſubjiciebatur, exemplar miſit. Antiſtiti P. Cuſtos reſpondit ſe datâ opportunitate ejus mandatis pariturum, exhibitu-

biturumque poteſtatem ſibi ad opus à ſe inchoatu
tributam. In animo ſibi eſſe ejus authoritatem ven
rari, atque eluere maculam perditorum hominu
calumnijs ſibi injectam. Calumniarum ſumma era
illos non eſſe veros Religioſos aut Sacerdotes, ſe
peſsimos ac meriſsimos ſub mentita veſte impoſtore
exploratores, proditores. Et ut quæ verecundiam ſe
mel excuſsit malitia, nullo frœno libera per omnia
vagatur, Chinenſibus, qui Machao negotiorum causâ
advenerant, perſuaſerant rogaverantve, ut in patriam
reduces Iudicibus intimarent, ſtudiosè invigilarent
nonnullis Caſtellanis quos certis nuntijs intellexiſſent
in civitatem *Canton* perveniſſe, ſcirentque non eſſe illos ejuſdem ſecum nationis, ſed alteri Regi ſubjectos,
credere autem ſe adveniſſe illos iniquo propoſito ſub
ficto habitu Caſtellanorum, qui in Inſula *Luzon* ſeu
Manila morabantur, exploratores, quos brevi claſsis
ſequeretur, non innocua illorum finibus futura: malum itaque præverterent, aut certè ſe à culpa reputarent immunes. Patuit poſteà hos fuiſſe dolos Luſitanorum verentium ne à ſolitis cum Chinenſibus mercimonijs per Caſtellanos excluderentur, quæſtûs cupiditate nimium divinis profectibus ſemper inimicâ.
Eòque proceſſerat temeritas, ut, Chinenſibus aſſeverantibus, non puduerit Præfectum *Machaonenſem* à Lu-
ſitaniæ

ſitaniæ Rege conſtitutum Magiſtratui civitatis *Cantono* vicinæ ſupra-dicta intimare, interpoſitâ proteſtatione, quod ſi per Caſtellanorum in regnum Chinenſe admiſſionem quippiam accideret ſiniſtri, nihil ipſi imputarent. Verùm Magiſtratus animadvertens accuſationi plus invidiæ quàm veritatis ineſſe, reſpondit, notos ſibi, qui accuſabantur, Religioſos eſſe homines regno prorſus innoxios, neque ab illis quidquam timendum in poſterum, qui nave appuliſſent non alio commeatu inſtructâ, quàm libris nonnullis rebuſque pietati magis quàm bello ſervientibus. Literas Præfecti prætereà, ut omnem à ſe incuriæ ſuſpicionem, ſi ille præveniſſet, Magiſtratus amoliretur, ad Pro-regem Provinciæ *Aucheo* miſit, ſed eo effectu quem apud prudentes calumniæ nimis impotenter confarcinatæ habere ſolent, ut & ipſæ ſcilicet fidem non inveniant & pro accuſatis jam ſatis injuriâ calumniarum adflictis concilient animos quos avertere satagebant. Pro-rex ſiquidem ex ipſis Præfecti Machaonenſis literis non obſcurè iniquam innocentibus intentionem deprehendens Præfecto Cantonpenſi reſpondit, benè peregrinos haberet, diverteret omnem ab illis moleſtiam, ad ſe Aucheum mitteret, velle ſe illos præſentes intueri, quos literis didicerat videri ſanctos. Tametſi enim nuntiaretur illos

 los

los eâdem habitus formâ, quâ anteà PP. Auguſtinianos viderat, (a) veſtiri, eſſe tamen colore differentem magiſque aſperum. Hâc ſpe deluſus Præfectus Machaonenſis publico præcone edici juſsit, ne quis illis Religioſis ſcriberet communicaretve, pœnâ exilij & biſ-mille cruzadorum (b) contrà facientibus conſtitutâ. Verùm non magis injuſtâ apud ſuos violentiâ, quàm fraude apud Chinenſes profecit: quin potiùs nonnullorum animos edicti impietate ad miſerationem accendit. Inter cæteros Epiſcopos, & Andreas Cotinò Sacerdos ſæpè illis literas, nunquamque eleëmoſinis vacuas, ſubmiſerunt, animantes ut pro viribus pium propoſitum promoverent. Idem Petrus Quintero Caſtellanus, qui diu inter Portugallos vixerat, factitabat. Vt apud illos iſtam edictum vim habuerit, ut quidem, ne deprehenderentur, ſecretiùs mitterent, ſed & diligentiùs abundantiuſque.

7. Ad propoſitum redeundo interpres in ſuum commodum ſingulariter intentus nuntium adduxit, qui P. Cuſtodis deferret literas ad ſibi ſuoque Ordini addictos, à quibus neceſſarias in tanta neceſsitate ſuppetias, ad calicis præſertim, quem fractum nondum ſciebat, redemptionem expetebat. Ivit redivitque nuntius inſigni celeritate ſecretoque, ea adferens quæ P.

Cuſtos

(a) *Vide part. 2. lib. 1. cap.* (b) *Cruzado in Luſitania ſpecies monetæ.*

Cuſtos popoſcerat, & ſimul electuaria P. Sebaſtiani de S. Franciſco infirmitati opportuniſſima, verùm vehementiores erant febres quàm ut magnum admitterent ſolatium aut diu vitam indulgerent. Poſt paucos itaque infirmitatis dies à vita mortali exceſſit in æternâ victurus, quod mores laboreſque pro Dei honore ſuſcepti, quod æſtuans martyrij deſiderium, ut de eo non vanè ſperamus, ſuadent.

8. Antequàm nuntius rediiſſet, *Aytao* advenerat, examineque noſtrorum, quòd injunctum fuerat, habito, magnâ illos benignitate affabilitateque haberi juſſit inſtructionem à Pro-rege Aucheano factam ſecutus.

CAPVT VI.

PP. Franciſcani neceſſitate compulſi plateatim ſtipem petunt: defertur id ad Præfectum civitatis: is Regis expenſis eos ſuſtentari curat: interpres ſolitâ avaritiâ & fraude agit: ducuntur ad Iudices, hi ad Pro-regem ſcribunt, à quo Aucheum vocantur.

1. VT interpretis avaritiam & ſimul periculum, quod ab ea ſibi imminere videbant, evitarent, redire ad ejus ædes comedendi causâ noluerunt,

ſatiùs

ſatiùs arbitrantes mendicatò cibum quærere. Quotidie itaque bini in plateis ſtipem petunt, non tantum nullâ civium indignatione ſed & lætitiâ, novitate illos delectante. Dictum etenim eſt (a) nullos ibi pauperes eſſe, aut, ſi ſint, non licere illis publicè eleëmoſinas corrogare. Re ad Præfectum civitatis delatâ non ſine neceſſitatis, quâ angebantur, commemoratione, in dies ſingulos ex ærario regio ſex maſes (b) ex argento numerari juſſit, ſummam, quâ non tantùm ipſi militeſque alebantur, ſed ex qua ob vile rerum omnium pretium (c) ſupererat.

2. Sciens interpres liberale, quod nuntius à ſe miſſus Machao attulerat, donum, ac prætereà literas cujuſdam amici ſcribentis ut ſuis ſumptibus omnia illis neceſſaria præberentur promittentiſque certam pro illis ſolutionem, (ijſdem P. Cuſtodem ſocioſque fortiſsimis precibus, ut, quod Deus ipſis inſpiraverat de ſalute infidelium procuranda propoſitum, gnaviter exequerentur, excitabat,) commodam inde majoris quæſtus occaſionem arbitratus (quippe qui indies pretij, quod pro emptione ciborum dabatur, medietatem præſcindebat) differre ſtatuit noſtrorum profectionem. Quodam igitur die inſigni turbati animi ſimulatione

(a) 1. *part. lib*. 2. *cap*. 10. (b) *de hoc moneta genere eiuſque valore vide ſup*. 1. *part. lib*. 3. *cap*. 4. (c) *de vili rerum pretio in China dictum eſt in prioribus libris non uno loco*.

latione fingit mandaſſe *Aytao*, ut feſtinatè regno excederent. Se tamen eorum nomine ſupplicaturum, ut, cum nec tempus eſſet nec navis navigationi opportuna, ædes tribuerentur in tres quatuorve menſes, ut quæ ad navigationem judicarent neceſſaria, pararent. Futurum intereà ut bonâ eorum & exemplari vitâ deliniantur indigenæ ac per hos ipſi Iudices, concedantque liberam apud ſe habitationem. Hæc ad lucrum interpres compoſuerat, non ignarus legis quâ vetabatur in regno habitatio exterorum niſi eam Rex ipſe conceſſiſſet. Hanc etſi aliquibus concederet, negaret tamen Caſtellanis Luſitaniſque, oraculi, quod apud illos indubitatæ fidei habebatur ob plurimorum, quæ eodem continebantur, veros eventus, credulitate. Iſto prædicebatur futurum aliquando ut ſubjiciantur nationi ſpiſſas habenti barbas, naſos aquilinos largoſque, grandes ac felinos oculos, notabili à Chinenſibus diſcrimine, quibus rariſſimi in mẽto capilli, ut mirum ſit ſi viginti numerari poſſint, naſus compreſſus, exigui admodum oculi, ut vituperium ibi ſit ingenſque injuria, oculi felini improperatio.

3. Cùm noſtris nihil magis eſſet in votis quàm in China poſſe morari ad Evangelij prædicationem, gratijs interpreti pro adfectu actis, eum inſtantiſſimè, ut

 citò

citò libellum cum ſui deſiderij expreſſione offerret, rogaverunt. Obtulit porrò eum in Iudicum conventu, qui exterorum miſeratione moti advocari illos ad ſe juſſerunt, pariter ut eos viderent, audirentque ab ovo, ut dicitur, deſiderium, quòd habebant, enarrantes. Vbi advenerant, qui ſupremus videbatur ac authoritate eminebat, cauſam ab illis petitarum per libellum ædium quæſivit. cui P. Cuſtos, ut linguam, ait, veſtram perfectè diſcamus, quâ reddamur ad annuntiandum vobis verum Deum voſque ad ejus fruitionem deducendos, aptiores. Hæc præter morem veraciter interpres retulit. Ad quæ Iudex totius conventus nomine, ſuæ, dixit, non eſſe poteſtatis petitis annuere. Interpres non petitâ noſtrorum mente, reſpondit, concederent ſaltem tanti temporis moram donec Luſitani mercimoniorum cauſſâ appellerent, illos intra paucos dies adfuturos, cum illis & hos diſceſſuros, cum quibus fide legibuſque conveniunt. Ob hæc ſciſcitatus rurſus Iudex, an ijdem eſsēt Caſtellani Luſitanique. Non differre, ajebat P. Cuſtos, Religione, ſed Regibus, quamquam & ijs ſanguine ſibi ac adfinitate junctis.

4. Poſterior petitio minus difficilis habita; cui quamquam ipſe annuere non poſſet, poterat tamen Pro-rex. Huic ſe ſcripturum promiſit, ut liberè & ſi-

ne

ne moleſtia degere illos permitteret ad adventum Luſitanorum, qui quinque menſibus tardior eſſe non poterat. Scripſit ad Pro-regem ſecundo Auguſti die & exterorum petitionem & judicium ſuum. Poſt multorum dierum dilationem Pro-rex Præfecto Cantonnenſi mandavit, mitteret peregrinos cum his, quæ advexiſſent, *Aucheum*. Quo nuntio exhilarati impigrè ſe ad iter parant, de quo capitulo ſequenti.

CAPVT VII.

Proficiſcuntur Aucheum, quæ in itinere viderunt quæque contigerunt, narrantur.

1. NOſtri acceptâ Pro-regis voluntate nihil ſibi tardandum rati poſtero die (erat Auguſti menſis decimus ſextus) *Aucheum* diſcedunt, fiduciâ obtinendæ, quam prætendebant, licentiæ pleni. Navis autem cuſtodiæ duos Indos ex ſuis deputabant, curâ, quæ alijs in locis eſſet neceſſaria, hîc planè ſupervacaneâ, benignitate Iudicum, qui eam in ſe ſuſcipiebant. Hi mox ſcedas certis characteribus notatas nauticis funibus adglutinarunt, ut evolvi, niſi perciperetur, non poſſent: ſcaphas prætereà quatuor bonas largaſque, porticibus commodas & quarum feneſtræ

cum

cum modicis foraminibus paterent non videre ſed deri prohibebant, noſtris attribuerunt, urgentes citum diſceſſum commendanteſque in navigatic celeritatem, ut promptæ obedientiæ Pro-regi expe mentum darent. Additi illis itineris duces & reru neceſſariarum proviſores.

2. Magno ſed adverſo flumine navigabant, idec que quatuor omninò dies requirebantur, ſed ſolitur tædium rerum admirabilium inſolitarumque aſpect mitigabant. Vtrique ripæ pagi, oppida & civitates in ſidebant majori numero quàm ut memoria retinere poſſet commendatas, neque tamen omnes, quòd noctibus, ad captandos fluminis refluxus & diei æſtus evitandos navigandum eſſet, videbant. Quod ædificijs vacabat ſpatium, campi erant frugiferi, quod bubalis trahentibus arabant, ſed more ab Europæo diverſo. Vni aratro unus ſatis erat bubalus, cui arans inſidebat, fune, qui tranſmiſſo per nares beſtiæ annulo nectebatur, facile ducens, quò vellet. Greges etiam anſerum paſcebantur incredibili numero, nonnulli ſuprà viginti millia complectebantur. Hi orizam aliaque ſata zizanijs purgant, nullo fructuum damno, ut ad rei tam novæ aſpectum obſtupeſcerent Caſtellani. Tanta eſt ubique ædificiorum multitudo & vicinitas ut vnus potiùs pagus dicendus videatur, quàm multi,

rectiùſ-

rectiùſque quis Chinam appellet civitatem quàm regnum. Ne unus quidem terræ pugillus jacet incultus, cujus cauſæ ſunt populi frequentia & intolerantia otioſorum : ideoque omnia ad vitæ ſuſtentationem vili væneunt.

3. Quarto itineris amæniſſimi jucundiſſimique die, qui erat Auguſti vigeſimus, ad *Auchei* ſuburbium pertingunt, ſed ſeriùs quàm ut pergere in civitatem poſſent, hoſpitium verò inveniunt cœnâ lectiſque egregiè inſtructum. Sub auroram urſit, qui illos ducere juſſus erat, ut ad Pro-regem feſtinarent. Gradiebantur inſigni magnâque plateâ, leucæ, ut ipſis viſum eſt, longitudine, ut non dubitarent ſe in civitate eſſe, donec conſpectâ tandem portâ cognoſcerent ſuburbium eſſe quod hactenus tranſiverant. *Auchei* magnitudinem pulchritudinemque, frequentiam populi, admirabilem pontem, aliaque, quòd libro præcedente, cùm de ingreſſu PP. Auguſtinianorum ageremus, dicta ſint, hîc non judicàmus repetenda.

4. Nondum ſurrexerat Pro-rex, aut ejus patebat palatium (quod non niſi ſemel de die, atque eo, quo ibi dictum eſt, modo, aperitur) quando illuc pervenerunt, quare eorum ductor non ignarus moræ in aperiendo palatio conſuetæ illos in aream palatio junctam deducit. Intereà adveniunt omnes Iudices ad

Pro-regis, ut paſſim vocatur, audientiam: ſcien verò adeſſe exteros ſiſti ſibi eos voluerunt, nihil nu quòd anteà Auguſtinianos vidiſſent, mirati niſi m jorem veſtium ruditatem. Paulò poſt magno torme torum bellicorum mugitu ac clangore tubarum, fiſt larum ac ſambucarum, ut concuti civitas videretu palatium aperitur, apparentque in prima area plurim milites ſclopetis & lanceis armati ordinatimque di poſiti. In ſecunda area majori penitiorique, quam to tam ligna nigro ac cæruleo colore tincta, ut ferra e minùs crederentur, cingebant, alij conſiſtebant mili tes, ſimili cum prioribus veſtitu ſed eminentiore. Pro-rex, quòd cum Auditoribus Concilij, qui differi non poterant, impediretur, redire noſtros ſub veſperam juſſit. Illi, ut juſſi erant, redeuntes ducti ſunt in ingens conclave egregieque inſtructum. Vltimus ejus murus tribus portis patebat, mediâ duabus lateralibus majore. His in ſequenti conclavi, aliæ numero, magnitudine & diſtantiâ reſpondebant. Vbi ante mediam, per quam nulli fas eſt ingredi aut egredi, reſidebat Pro-rex ſolio aureo ac eburneo, quod cælo tegebatur ex panno aureo, in cujus medio Regia inſignia, intorti ſcilicet ſerpentes, acupicta conſpiciebantur. Quæ ante eum menſa erat, duas incenſas candelas, die nimirum in noctem vergente, & papyrum reliquaque ad ſcrip-

ſcriptionem neceſſaria ſuſtinebat. Pro-regi ex adverſo paries objiciebatur albus cum depicta in eo ferocientis draconis atque flammas ore, oculis, naribuſque ſpirantis imagine. Similem omnia Chinæ tribunalia objectam habent, ut meminerint Iudices ejus aſpectu in pronuntiandis ſententijs neminem timere. Audientiarum modum rituſque, libro ſuperiore, cum de PP. Auguſtinianis tractaremus, deſcripſimus. Pro-regi omnes ſeu Iudices ſint ſeu *Loytias* genuflexi loquuntur ut non ſemel dicti Auguſtiniani viderunt.

5. Expectantibus in anteriore conclavi PP. Franciſcanis comitibuſque ut à quoquam ad Pro-regem inducerentur, ille tabelliones & notarios audiebat, inquirens an ritè munere fungerentur, præcepitque ex ijs fuſtigari quinquaginta, partim quòd tardiùs cauſas expediviſſent, partim quod admiſiſſent à litigantibus dona ſub graviſſimis pœnis vetita. Vt enim officialium avaritiam domaret, ſtipendia ſingulis ex ſuo ærario conſtituit ſuſtentationi paria, non dona tantùm ſed & jura à litigantibus danda excludens. Pro-regis imperio mox fuſtigatio ipſa ſucceſſit certè crudelis, cujus modum non uno in loco tractavimus.

6. Milites Pro-regis cuſtodes (numerum biſ-millenarium excedebant) omnes byſſino veſtiebantur, ferreas

ferreas ſplendicanteſque galeas longis dependenti[illegible]
plumis geſtantes. Illi hinc inde diſtributi ab ipſa co[illegible]
clavis, in quo eſt Pro-regis thronus, ad primam uſq[illegible]
palatij portam quaſi plateam conficiunt. Qui in co[illegible]
clavibus ac gradibus ſunt, gladijs accinguntur; qui [illegible]
areis, lanceas geſtant aut ſclopeta alternatim colloc[illegible]
ti. Scitum à noſtris poſteà fuit omnes illos milit[illegible]
non Chinenſes ſed Tartaros natione eſſe, cujus cau[illegible]
ſam, etiamſi impigrè inquiſiverint, conſequi no[illegible]
potuerunt.

CAPVT VIII.

Intrant ad Pro-regem qui illos nonnulla interrogat ac ad Locum-tenentem ſuum (ipſi Timpintao vocant) remittit: à quo benignè recipiuntur.

1. EXamine Tabellionum finito aliquis ex Pro-regis familia, egregiæ, ut apparebat, dignitatis ſignum ingrediendi in conclave Pro-regis, noſtris dedit, monitis tamen, ut in ejus initio genuflecterent. Aberat locus, in quo genuflexerant, à Pro-rege amplius centùm pedibus, adeoque ille indicio manu dato propiùs accedere aliquem ex Religioſis jubet. Acceſſit P. Cuſtos, rurſuſque ante menſam genuflexum

flexum cùm aliquantulum conſideraſſet; inſignis gravitatis & majeſtatis præ-ſe-ferentiâ interrogavit, cujates eſſent, & quid quærerent in regno, quod intrare ſub pœna vitæ, niſi impetrâtâ priùs ab aliquo Præfecto licentiâ, vetabatur. Ad quæ in hunc modum P. Cuſtos, ſe ſuoſque comites eſſe Caſtellanos: intraſſe aûtem in Chinæ Regnum zelo Dei & ſalutis animarum motos, ut ſanctum ibi Euangelium prædicando certam, quâ ad cælum itur, viam ignorantes edocerent. Hîc etiamſi nullam de infideli interpretis expoſitione ſcientiam habuerint, ejús tamen ſuſpicionem reſponſum Proregis ingeſſit, qui nullâ Evangelij aut viæ ad cælum mentione, non aliud quæſivit, quàm quæ genera mercium advexiſſent. Nullas, inquit P. Cuſtos, merces à ſe advectas, neque hoc ſuum eſſe inſtitutum, ſed res explicare cæleſtes, & ad illas homines dirigere. Quâ reſponſione aut forte aliâ, quam interpres finxerit, auditâ, Pro-rex illos dimiſit poſtridie rurſum adeſſe mandans atque adferre quidquid ſecum advexiſſent, addens luſtrare ſe omnia velle, quorum literis Cantonenſium factus fuerat certior. Adfuerunt verò ad horam, quâ portam aperiendam intellexerant, & dato adventus illorum indicio Pro-regi, ille ingredi juſſit ex Religioſis unum ſolo interprete comitatum, & exponi quæ attulerant. Luſtrabat ſingula diligen-

 ter.

ter. Delectari videbatur imaginum ac librorum aſpectu, ſuper cætera verò ex nigro jaſpide lapis pro altari conſecratus placebat, ut in nullo hujus æſtimatio ab alijs Iudicibus diſcreparet. Dum hæc fierent P. Cuſtos & interpres genuflexi perſiſtebant, quâ etiam veneratione à præcipuis aulæ (ita noſtris viſum) imagines offerebantur, & libri & lapis. Nihil hâc vice à noſtris quæſitum fuit, nihil ipſi dixerunt, ſed luſtrata reponi, ut fuerant, Pro-rex præcepit dato abeundi & ſua referendi poteſtate. Abeuntes unus aſſiſtentium certè dignitate & ætate gravium ad ſecundum conclave deducens dixit, jucundum Pro-regi fuiſſe eorum rerumque allatarum adſpectum: irent autem ad *Timpintao* Pro-regis Locum-tenentem, qui libellis ſupplicibus intendebat, illum cum Pro-rege tractaturum, &, quid agendum eſſet, ſignificaturum. Invenerunt porrò *Timpintao* in maximo pulcherrimoque palatio majeſtate militumque cuſtodum numero Pro-rege non multùm inferiorem: ejus affatum in area præſtolantur. Et quia ille de peregrinorum ad ſe adventu præmonitus erat, aſcendere illos in conclave juſſit, cum conclavi Pro-regis ornatu, magnitudine, diſpoſitione, throno & ante eum menſâ penè comcomparandum. Ille quoque ea, quæ attulerant, ſingula luſtrat, delectatur imaginibus & quarundam

ſigni-

ſignificationem inquirit. Inter cæteras vna Chriſtum crucifixum repræſentabat. Ipſe, quis eſſet homo iſte in cruce extenſus, quidque vellent characteres in titulo crucis expreſſi, ſciſcitatus, cùm P. Cuſtos occaſione aperiendæ veritatis lætus, ea, quæ fides tenet Chriſtiana, declaraſſet, *Timpintao* tanquam fabulas audiſſet aut nugas ex arte compoſitas, in riſum ſolvebatur. Veſtem deinde Religioſorum palpans viſus fuit admirari ejus aſperitatem atque compati eorum incommodis.

2. Mitem ejus animum affabilitas comitabatur: Hinc ſumptâ audaciâ P. Cuſtos ſupplicandum duxit, ut ejus interpoſito favore Pro rex vivendi in Chinæ aliquo loco illius arbitrio deputando licentiam tribueret; ſe eſſe homines nulli moleſtos, omnibus officioſos, nihil ſatius ducentes quàm omni conatu charitatis officia exequi, procurareque ut homines ad eam, ad quam creati ſunt, pertingant felicitatem. Interpres non majori, quàm hactenus, fidelitate dixit, id Religioſos depoſcere ut apud Pro-regem ſit interceſſor, ut tres illis quatuorve menſes ad commorandum in regno dentur, ob tempus navigationi importuniſſimum, quo ſine ingenti vitæ diſcrimine uti ad redeundum ad Inſulas Philippinas non poſſent. Ad hæc Iudex bono illos animo eſſe juſſit, ſe effecturum aſſe-

verans ut certæ illis ædes pro illo menſium numero aſſignentur, publicoque edicto omnes ab illis moleſtiæ removeantur. Quæ interpres ita noſtris expoſuit. Eorum in regno commorandi deſiderium placere Pro-regi, quòd illos æſtimaret vitæ exemplaris homines neceſſarioſque Reipub. ideoque ſine offenſa linguam ediſcerent, ejuſque peritiâ idoneos ſe redderent, ut ad cælum viam, quam promiſerant, indigenis demonſtrarent. Locum tenentis verba ea, quæ interpres referebat, fuiſſe noſtri arbitrati, non mirabantur tantùm, ſed boni ſucceſſus fiduciam conceperunt, adeóque gaudentes corpore animoque à Iudice ad hoſpitium proceſſerunt, gratias Deo reddentes pro tam proſperis propoſiti ſui exordijs, rogantesque ut finem daret initijs reſpondentem.

3. Interpretis infidelitatem, quam ex ipſomet poſteà cognoverunt, non dubitarunt noſtri momentis adſcribere providentiæ divinæ dirigentis interpretis falſitatem ad ſecuritatem advenarum. Indubitatum ſiquidem eſt, Præfectos, ſi ab initio noſtrorum in China habitandi vivendique voluntatem penitus percepiſſent, fuiſſe illos terrâ prohibituros; & Pro-regem admiſſos, nullâ tempeſtatum, quæ in illo mari menſibus Iulio, Auguſto & Septembre ſolent eſſe maximæ, conſideratione, quamquam omni-

omnibus pereundum fuiſſet, mox fuiſſe ejectu-rum.

CAPVT IX.

Aliquot diebus Auchei morantur: aulæ præcipuos viſitant, nominatim Præfectum maris: qui lapidis jaſpidis deſiderio incenditur, eumque varijs modis conſequi laborat.

1. NOn otioſè dies, quibus *Auchei* hærebant, tranſigebant, ſed quos in aula præcipuis dignitatibus fungi intelligebant, viſitando ſibi faciliores benignioreſque reddere nitebantur. Nulli verò chariores advenerunt, quàm militum in illa Provincia Præfecto Generali, à quo poſt humaniſſimum alloquium altero rurſum die redire juſſi ſunt, ac ferre nigrum altare, quod Pro-regi oſtenderant, plurimùm ab omnibus laudatum, & aliquot ex ijs, quas attulerant, icones. Reverſi, ut juſſi erant, prandentem Præfectum inveniunt, magnâ majeſtatis oſtentatione, qui mox ſublatis menſis ad ſe illos in conclave invitavit, ipſum eorum ingreſſum inſigni humanitatis teſtimonio honorando. Nam interpres more regni in introitu genuflexus, cum idem faciendi noſtris indicium dediſſet, illique feciſſent, Præfectus, ut mox ſurgerent

 tege-

tegerentque caput, mandavit, ipſe lapidi ſtudioſis oculis interim intentus, ac quæſtionibus aliquot curioſis expeditis, vendi ſibi lapidem poſtulavit, pretium ipſi ſtatuerent quod vellent. Omnem ſibi venditionem P. Cuſtos ait legum ſtatûs, quem profitebantur, religione eſſe vetitam, multò magis rei ſacratæ. Dari igitur Præfectus ſibi petiît copioſiſſimè remuneraturo. Neque in hoc Cuſtos conſenſit, ejus ad miſſam celebrandam ſeu ſacrificia vero Deo offerenda allegans neceſſitatem, & conantem Præfectum aram manibus contingere prohibuit, grande aſſerens peccatum profanis res ſacras manibus tractare. Neque minori cautione petenti deinde Præfecto, ut lapidem in ædibus ſuis relinquerent majori otio à ſe conſiderandum, annuit. Plus ſpectatus plus Præfecto placuit. Et quia ſalvâ reſtitutionis promiſſione deſiderio ſatisfacere ſatagebat, ad cautelam converſus P. Cuſtodem accerſit, humaniſſimeque ſuſcepto & ſpe recipiendi lapidem læto dixit, Regis ſe mandato ad bellum feſtinare, ituros ſecum inter miniſtros Chinenſes duos, qui à Portugallis in captivitatem *Macham* (a) ducti doctrinâ ibi fuerant Chriſtianâ imbuti baptizatique: ab his fugâ elapſis ſæpe gaudenterque omnes Chriſtianorum ritus ac Myſteria audiviſſe, ipſorum item Religioſorum adventum ſpectare, ut ſi quos Chinenſium repe-

(a) *Macham, civitas.*

rirent

rirent baptiſmum velle, eundem conferrent; ſe edo-
ctum plurima quæ ad baptiſmum & Religioné Chri-
ſtianam ſpectant, atque placuiſſe, ac proinde ſperare
ſe fore ex primis, ubi Rex conſenſerit, qui eidem ini-
tientur. P. Cuſtos non obſcurè animadvertens pro
lapide totum hunc ludum eſſe, tantò fortiùs, ut eum
reciperet, laboravit; neque fruſtrà. Paucis tamen pòſt
diebus Præfectus claſſem ſoluturus duos ex Religioſis
qui lapidem apportarent, evocavit, adeſſe ſibi ſignifi-
cans amicos qui ejus videndi deſiderio tenerentur. P.
Cuſtos mandanti contradicere non auſus, quamquam
lapidis periculum ſuſpicaretur, paruit, ſed præter la-
pidem ſecum etiam tulit Sanctæ Mariæ Magdalenæ
iconem ex compoſitis inter ſe plumis pulcherrimè
concinnatam, & omnimodis, ſolâ exceptâ conſecra-
tione, valore lapidis ſuperiorem, ut ejus oblatione,
ſi quod lapidi periculum imminere cerneret, priorem
cupiditatem in præclarius artificioſiuſque opus defle-
cteret; meliori ſane conſilio quam ſucceſſu. Adven-
tantes Religioſos ſuſcepit Præfectus nullo benignita-
tis ſigno deſiderato, ut ad decem etiam paſſus obviam
procederet, ductoſque ſeorſim in hanc formam affa-
tur. Captivi, quod etiam antè memoratus ſum, Chi-
nēſes ex captivitate *Machaonenſi* profugi atq; inter mi-
niſtros meos adſcripti talibus apud me encomijs vitæ
veſtræ

veſtræ formam virtutibus plenam, ac res Religionem veſtram planè cæleſtem concernentes ſunt proſecuti, ut non exiguum erga vos Religionemque veſtram in me excitârint adfectum, deſideremq; Vos in his terris commorari, ut indigenas baptiſmalibus undis abluatis, ad quas ego primus accederem niſi pœnis deterrerer legis vetantis recipere novam legem aut ritus niſi Rege ſpecialiter conſentiente. Nunc verò ad transferendam in quandam Provinciam coloniam feſtino, curaboque ut quamprimùm omnes ejus incolæ Chriſtianis ſacramentis imbuantur. Hunc igitur lapidem, ut dicitis, conſecratum mihi donate, ut mecum aveham ponamque pro altari in primo, quod neophyti Chriſtiani in ea exſtruent, templo. Et ne arbitremini in longa iſtud tempora differendum, ſcire vos velim decreviſſe me mittere intra paucos dies *Machaum* qui inde ad me vocent duos Religioſos, quales hîc video, ut eorum miniſterio plenè in doctrina Chriſtiana inſtituar, & mecum omnes illius, ad quam pergo, Provinciæ habitatores. Reſpondit P. Cuſtos hæc ſi vero deliberatoque animo diceret, ſe ſuoſque omnes incunctanter comitaturos. Negavit Præfectus id iſto poſſe fieri tempore, ædificandam aſſerens priùs eccleſiam, Regis aut Pro-regis requirendam licentiam, nunc tempus properanti eſſe anguſtius quàm ut ejus

ſolli-

ſollicitationi ſe impendere poſſit. P. Cuſtodi verò videbatur ædificandam priùs eccleſiam, promittebatque ſe eo nuntio accepto mox lapidē miſſurum, ſervaturumque ſe eum religiosè in dictam occaſionem: ac cum hoc in ſponſionis ſuæ pignus Præfecto tradebat plumeam Sanctæ MARIÆ MAGDALENÆ imaginem. Quàm oblatam Præfectus accepit miratus non parùm ſingularem in compoſitione plumarum induſtriam, ac deinde etiam aram penè violentè in poteſtatem redegit, mandans ut duo pretioſiſſimi ex damaſceno panni pro ea P. Cuſtodi traderentur, quos hic, quamvis inſtantiſſimè repetitiſque vicibus offerrentur, recuſavit, quòd arâ ſimul ac plumeâ imagine privaretur, indignatus. Patuit tamen poſteà interpretis à quodam Præfecti famulo ſubornati, mutata P. Cuſtodis verba, quaſi ille aram cæteraque, quæ Præfectus optabat, offerret, referentis fraudi tribuendum accepti lapidis damnum, ſine qua Præfectus illum invitis Patribus nunquam fuiſſet auſus auferre.

2. Duplex imaginis & lapidis amiſſio quantùm P. Cuſtodi ac ſocijs mæſtitiæ, tantùm gaudij eorum conſecutio attulit Præfecto, qui cùm ijs mox navem conſcendit, præmiſsâ inſignis erga illos adfectus teſtificatione, & ſignis doloris quod ab illis avelleretur,

 neque

neque in claſſem ſuam iſtâ illos vice aſſumere, quod petiverant, liceret. Interpres intereà Patrum triſtitiam lenire nitebatur propoſitâ ob oculos dignitate Præfecti authoritateque, à quâ magnus apud Pro-regem naſci illis favor poterat, atque indubiâ ſibi ſpe, quòd fidem Chriſtianam, ut promiſerat, eſſet ſuſcepturus: quod tantò faciliùs illi credebant, quò deſiderabāt ardentiùs, famulorum præſertim Chinenſium Chriſtianorum concordi aſſeverantiâ roborati.

3. Triſtis, humanaque remedia omnia deſperans P. Cuſtos ad Cælitum opem recurrit. Noverat pro rebus perditis S. Antonium de Padua adhiberi ſolere advocatum, idque non fruſtrà fieri ipſe P. Cuſtos non vano didicerat experimento. Illum invocat deſolatus, aliquot ſacra, dicenda cùm prima permitteret opportunitas, vovet. Intereà rixa inter principalem interpretem atque ei aſſiſtentem ſuper lucro naſcitur, minaturque unus alteri ſe delaturum ad civitatis Præfectum quòd multis muneribus acceptis lapidem Religioſis, quem invitiſſimè dimiſerunt, fraude extorſerit. Ille fraudis objectæ ac munerum conſcius, timenſque crudelem fuſtigationem ad navem decurrit, Præfecto maris in commodum navigationi ventum attento altercationem & intentatas ab altero minas enarrat, qui non minus pœnas, ſi ad aures *Aytao* Ci-

vitatis

vitatis *Cantonenſis* perveniret illata exteris fraus, (perveniret autem certiſſimè) veritus, famulo mandat, ut aram atque imaginem ad Religioſos referat citiſſimè. Quod Domini mandatum famulus exequens gaudium Religioſis attulit non vulgare, atque præconceptam erga S. Antonium devotionem novâ favoris æſtimatione auxit.

CAPUT X.

Vocat illos Timpintao: qui datis literis facultatem addit eundi in civitatem Canton, ubi jubentur ſe diſponere ut è regno excedant.

1. POſtero die, Septembris tertio, accedere ad *Timpintao* ſeu Proregis Locum-tenentem jubentur, qui traditis literis affirmabat ſe ex pleno, quidquid petiiſſent, conceſſiſſe, mandareque Præfecto *Cantonenſi*, curaret ne quod impedimentum aut ipſe poneret, aut ab alijs poni pateretur. Atq; ita humaniſſimis verbis dimiſit, hilares certè, quòd arbitrarentur ſe ferre in literis Proregis ad manendum in China, prædicandumque Evangelium conſenſum, ideoque alacres ut breviſſimè iter, quod ſequenti die ſtatuerant inchoare, conficerent. Itineris tædia inſi-

gnis mitigabat *Tinpintao* benignitas, cujus præcepto commoda ubique inſtructaque hoſpitia nanciſcebantur. *Cantone* mox civitatis Præfectum viſitant, Proregis tradunt literas, qui illis Proregis favorem gratulatur, ſpondetque ſe ad amuſſim illius mandata executurum. In fidei probationem ædes illis in ſuburbio in ruinam quidem proclives ſed Regias aſſignat, addito tamen præcepto ne ſuo injuſſu aut in civitatem intrent aut ex ædibus egrediantur.

2. Pluſculos ibi dies agunt, mirati tam tardè Præfectum exequi quod firmæ opinionis errore arbitrabantur ipſi à Prorege imperatum, licentiam ſcilicet ædificandi monaſterij, ac ad neceſſaria ad illud paranda exeundi, donec ex plano interpretum fallaciam adoleſcens Chinenſis, quem ex Philippinis Inſulis adduxerant, detexit. Narrabat hic ſummariè nihil unquàm ab illis actum de habitatione in Regno Chinenſi aut monaſterio; ſed, eſſe homines naufragio ejectos in terram rogareque tantillæ indulgentiam moræ, donec aura opportunior illorum navis imbecillitati ſpem daret proſperæ navigationis, aut certè naves appellerent Luſitanæ adverſus maris impetus periculaque robuſtiores. Iſtud ipſis ac nihil prætereà à Prorege ac ejus Vicario fuiſſe conceſſum. Obſtupuerunt ad hanc adoleſcentis Chinenſis narrationem,

dolue-

doluerūtque deceptionem ſuam omnes. Verùm e veſtigiò rurſus in reparationem detrimenti intenti, fideles nanciſci interpretes laborabant; nec deerant qui ob linguæ Luſitanicæ commercium ſufficientemque notitiam id præſtare potuiſſent; qui verò præſtare vellet, inventus eſt nemo, nihil emollientibus ullis aut precibus aut promiſſis.

3. Indicto igitur comitum conventu P. Cuſtos in præſenti rei deſperatione ſingulorum ſententias requiſivit. Fuit non vna aut conſentiens omnibus. P. Cuſtodi alterique Religioſo viſum, non longè inde diſtans *Machaum* petere, ibi Chinenſibus Chriſtianis doctrinæ ac Sacramentorum miniſterio ſervire, Chinenſium intereà linguam ediſcere: duplex inde commodum naſciturum: occupaturos ſcilicet ſe, ſuperatâ interpretum neceſſitate, quamlibet ad redeundum occaſionem; & ſuâ præſentiâ moribuſque confutaturos, quam de illis inter Luſitanos ſparſerat Centurio Major, calumniam. Reliqui duo Religioſi militeſque, relicto *Machao*, redeundum ad Inſulas Philippinas cenſuerunt, hâc adjectâ ſententiæ diſſentientis causâ: diſceſſiſſe ſe inde nullâ Præfecti licentiâ, periculum omne atque damnum hinc ſecuturum ſpe dilatandæ fidei Chriſtianæ ſolantes; hanc ſpem, etiamſi in præſentiarum occultis Dei judicijs non ſucceſſerit, vali-

 turam.

curam tamen non ad veniæ dumtaxat facilitatem ſed & ad culpæ amolitionem, quando cum obedientia humana manifeſtus honoris Dei zelus ac deſiderium ſalutis animarum juſtâ trutinâ librabitur: modò verò nihil ſupereſſe, quo ab obedientia Præfecto debita meritò excuſentur, adeóque ſe non evaſuros proditionis cenſuram, præſertim ſi *Machaum* ad Portugallos Caſtellanorum hoſtes deflectatur. Ita opinionibus utrimque invariabiliter diſputabatur, quarum diverſitatem nequidem poſt aliquot dierum ſupplicationes depoſuerunt. Priores itaque *Machaum*, *Manilam* poſteriores primâ opportunitate ſolvere ſtatuerunt.

4. Hæc inter Hiſpanos agitabantur, ipsâ eorum voluntate diuturniùs, quòd nulli illis tunc Iudices intenderent, examine ſtudioſorum (quod tertiò quolibet anno fieri loco ſpeciali diximus) & ſumptuoſis convivijs per dies amplius quadraginta quinque, neglecto omni particulari negotio, occupati.

CA-

CAPUT XI.

Mittit P. Cuſtos nuntium Machaum; Epiſcopo atque alteri Eccleſiaſtico ſcribit pro ſumptuum ad diſceſſum ſubminiſtratione: cujus rei Centurio Major certior factus eoſdem rogat ne ullum favorem aut ſubſidium Franciſcanis præſtent: atque alia quædam obſtacula iiſdem ab illo injecta.

1. SVb idem tempus P. Cuſtos mittit, qui Epiſcopum *Machaonenſem*, aliumque ibidem Eccleſiaſticum ſibi adfectum, cujus ſuprà meminimus, ſui redderet propoſiti certiores, peteretque eleemoſinam, quâ naulum ituris in inſulas Philippinas ſuppeteret, ſibi verò ſocioque illos viſitaturis. Non hæc eâ cautione peracta ſunt, ut Centurionem Majorem Luſitanorum laterent, qui iratus literas ab Eccleſiaſtico, cui à Chinenſi traditas ſciebat, popoſcit, adjectis, ni faceret, minis ſe illum punitutum ejecturumque in exilium velut de infidelitate in ſtatũ ſuſpectum. Faſſus Eccleſiaſticus ſe illas recepiſſe addidit eaſdem mox à ſe ad Epiſcopum fuiſſe delatas, cui inſcribebantur. Inde altercatione non levi inter illos ortâ Centurio in Eccleſiaſticum, ut eum caperet, manus injecit. Verùm nuntio ad Epiſcopum feſtinè delato, adfuit ipſe Eccle-

Eccleſiaſticum è ſæculari manu liberaturus. Centurio in ſuo ſe propoſito fruſtratum videns multa ab Epiſcopo requiſivit, præſertim ne ullas ab illis Religioſis Caſtellanis, quos certâ relatione ſciebat exploratores eſſe non Religioſos, literas recipi permitteret, ſe alioquin damni, ſi quod ab illis accideret, culpam omnem in eum rejecturum. Epiſcopus culpæ periculum facilè admiſit, quòd diceret indubitatis ſibi nuntijs conſtare illos Religioſos eſſe atq; ſtatui congruenter viventes, inſignes ſcilicet Dei Servos.

2. Quo licet reſponſo Centurio pacatior redderetur, non dimiſit tamen animum novis illos machinationibus impetendi, ſed ſtatuit captivitate redigere in poteſtatem. Hoc fine interpretibus ſcripſit, magnâ argenti copiâ promiſsâ, efficerent, ut Iudices *Cantone* mitterent *Macbaum* Religioſos & milites Caſtellanos; dato etiam indicio modi, quo propoſitum opere complerent: primâ ſcilicet quâ Gubernatorem convenirent, etiamſi illi dicerent reditum ſe in Inſulas Philippinas diſpoſuiſſe & petere, ipſi interpretârentur de profectione *Macbaonenſi*. Fecerunt, quod docti erant interpretes magno per compendium ſolitis ſiniſtræ interpretationis ſperato emolumento victi. Verùm conceptam fraudem Deus opportunè à ſervis ſuis avertit, ut ſequens narrabit Caput.

CA-

CAPUT XII.

Luſitanus quidam mali hujus propoſiti notitiam adipiſcitur; Franciſcanis per tabellas indicat; hi periculo proximi remedium adhibent. Vocantur ab Aytao civitatis, narratur quid apud illum acciderit, & circa facultatem quam dedit, ut aliqui Machaum, alij in Luzoniam (a) proficiſcerentur.

1. HAbitabat *Machai* (b) Luſitanus verè Chriſtianus, is in notitiam venit peſſimarum molitionum, quibus in detrimentum Religioſorum, qui *Cantone* (c) agebant, ſociorumque militum Centurio occupabatur. Hic uti ſanctæ eorum intentionis erat non ignarus, ita ægro animo ferebat à Chriſtianis obſtacula poni Chriſtianis ſalutem animarum quærentibus. Quare ſtatuit projectæ fraudis illos reddere certiores. Literas expedit ſed ſine ullius nominis ſubſcriptione, quibus indicabat Centurionem id agere ut interpretum interventu Patres traheret, ubi à ſe capi poſſent ad Luſitaniæ Regem mittendi, aut ſub falſis prætextibus aliquod eorum perſonis adferre nocumentum; caverent proinde ne frande circumvenirentur. Patres lectis literis ponderatiſque, propoſuerunt,

(a) *Luzon Provincia.* (b) *Machao.* (c) *Canton.*

runt, quæ ſcribebantur, cum Chinenſi quodam inſigniter Latino, quem non ſemel probârant & experti erant virum probum ac ſibi amicum, tractare. Qui promiſit intra paucarum horarum ſpatium ſe plenam de rei veritate allaturum notitiam, ac mox ſe proripuit ad locum, in quo Iudices alios accedentes audiebant. Aſtitit ibi quaſi eorum, quæ agebantur, planè incurius, donec videret advenientem interpretum vnum, qui libellum ſupplicem, quem manu geſtabat, Supremo Iudici (*Aytao* is erat) porrexit; *Aytao* verò libello per aliquem tabellionem pronuntiato conceſſit quod eo continebatur. Continebatur verò petere Noſtros facultatem quâ ſibi liceat *Machaüm* contendere; id nimirum ſibi videri opportunius, quàm in Philippinas conniti. Chinenſis ille in libellum ex propoſito intentus animadvertenſque in interprete manifeſtæ lætitiæ ſigna, ſcivit nihil quàm ſignationem conceſſioni à Iudice factæ deeſſe. Hæc ob incidens impedimentum in veſperam fuerat dilata divinâ proculdubio directione, ne, ſi ſignata fuiſſet, cõceſſio fieret more gentis prorſus immutabilis, infallibileq; traheret effectum. Hæc Chinenſis propere nuntiavit noſtris, ſerius tamen quàm interpres ijſdem rationem reddidiſſet oblati à ſe libelli, quamquàm non ex veritate. Dixerat ſcilicet à ſe nomine illorum petitam

„ licen-

„ licentiam redeundi in Philippinas, Iudices abnuiſſe,
„ voluiſſeque ut *Machaum*, locum magis vicinum con-
„ tenderent, idque nullâ morâ aut tergiverſatione
„ interpoſitâ, niſi experimentum ſumere vellent vio-
„ lentiæ certò certiùs inferendæ. Noſtri ad hoc fallaciæ indicium atque imminens ex fallacia damnum cum Chinenſi amico capiunt conſilium. „ Hic cer-
„ tum ſe ajebat Supremum Iudicem *Aytao* propenſo
„ in illos eſſe animo, libelloque non aliter annuiſſe
„ quàm ut faveret ſupplicantibus, in hoc ab interprete
„ illuſus; Verùm, quòd nondum ſubſignatus eſſet
„ conſenſus, iſtud ſupereſſe remedij, ſi Supremo Iu-
„ dici *Aytao* alium offerrent libellum quem ipſe for-
„ maret, dicerentque nunquam ſibi animum fuiſſe
„ *Machaum* petere ſed *Luzoniam* (a); Addebat idem Chinenſis ſe pro ſincera, quâ illos proſequebatur amicitia, non ingratijs ituium in ipſorum conſortio ad *Aytao* niſi ſeveriſſimis pœnis cautum eſſet ne quis pro extraneis loqueretur niſi præhabitâ Iudicum licentiâ aut niſi vocatus ad hoc nominatuſque.

2. Cum hac voluntate ac ſupplicatione noſtri ad *Aytao* contendunt, occurruntque ad hoſpitij ſui portam dicti *Aytao* famulo, ab ipſo ad noſtros miſſo, qui eis nunciaret deſiderare herum ſuum ipſos, antequam diſcederent, videre & convenire. Pergunt cum illo,

(a) *Luzon, ita olim Philippinæ Inſulæ vocabantur.*

emenſoq; non exiguo ſuburbij ſpatio ad portã civitatis perveniunt, ibiq; detinẽtur donec alius ſcriptã in tabula licẽtiam, prout ibi moris eſſe alibi diximus, adferret. Quâ acceptâ in civitatẽ ingreſſi, progreſſiq; aliquanto tempore per plateã, eas in illa diuitias raritateſq; obſervârũt, ut in ſtuporẽ raptus P. Cuſtos palã pronũciaret ſe in præcipuis Belgij ac Italiæ civitatibus, quas peragraverat, nihil obſervaſſe tã rarũ opulentumve quod eſſet cũ ſola hac platea cõparandũ. Res ſtupori proxima eſt & creditu difficilis, ab omnibus tamẽ, qui eam viderunt, communi conſenſu aſſerta. Cum ex hac plateâ in conſpectum alterius portæ perveniſſent, ipſis viſis milites cuſtodes magno impetu portam ferream, tranſversâ ante eam trabe, clauſerunt poſtulantes per cancellos ſibi tradi licentiæ, quâ veniſſent, tabellas. Et quamquàm *Aytao* ſervus atque interpres qui juncti ipſis gradiebantur, indubitatam ejus fidem facere potuiſſent, eam non reſerârunt, niſi dictis tabellis per alium Iudicem approbatis ac relatis. Tunc apertâ portâ admiſſi, ducti ſunt à militibus ad cujuſdam velut Prætoris aulici, quem ipſi *Tequiſi* vocant, ædes, à quo ad *Aytaum*, prout mandatum erat, ducerentur. Huic Prætori libellum, quem ſecum ferebant, inſcio prorſus interprete, tradiderunt, ſignis ac quibuſdam, quæ didicerant, illius linguæ vocabulis rogantes

gantes ut eum *Aytao* Iudici porrigeret, ageretque ut precibus ſuis ipſe annueret. Cumque eum traderent, quod ingentem interpreti turbationem concitavit, addiderunt noſtri adſtantem ſibi interpretem furem eſſe & proditorem, utpote à quo *Machai* Centurioni Supremo venditi eſſent promiſſione munerum intercedente, ſi libello insereret noſtros *Machaum* velle petere non *Luzoniam*. Cum hoc *Tequiſi* cum noſtris egreſſus ad vicinas *Aytai* ædes inter eundum perlegit libellum animadvertitque differentem ab illo, quem interpres Iudici *Aytao* ſe præſente porrexerat. Hæc libellorum contradictio cauſa fuit ut Prætor *Tequiſi* ſigna & impolita vocabula, quibus ante noſtri querelas ſuas indignationemque exprimere conati erant, præcedentemque interpretis tremorem profundiùs ponderaret, ſciſcitareturque ab interprete contradictionis occaſionem. Ille tremens reſpondit intellexiſſe P. Cuſtodem (cui omnes tamquam capiti parebant, & cum quo ſolo ipſe tractaverat) deſiderare & parare ſe ad profectionem *Macbaonenſem*, adeoque ſibi viſum indubitatum ſubditos illius ejuſdem fuiſſe voluntatis, feciſſeque illius tenoris in illorum favorem preces. Quâ excuſatione, præſertim cum nec noſtri inchoatas querelas tremore & rogatu interpretis moti urgerent, placatus *Tequiſi*, noſtris in periſtilio expectare

juſſis, in interiores *Aytai* ædes contendit manu geſtans libellum à noſtris porrectum. Paulò pòſt datum ipſis ſignum, vt in cubiculum, in quo Iudices examinatâ ipſorum petitione erant, intrarent. Cumque per portam aulæ, in qua *Aytao* conſidebat, introiiſſent, indicio ad genuflectendum accepto, fecerunt id viginti plus minus paſſibus à menſa quæ ante Iudicem eſſe ſolet, Tenebat *Aytao* manibus noſtrorum, quem *Tequiſi* illi dederat, libellum, quem tametſi anteà proculdubio legiſſet, reiterari publicè lectionem voluit, ac deinde, quinam *Machaum* cogitarent, ſciſcitatus eſt. P. Cuſtos pro ſe & P. Ioanne Baptiſta ſignum dedit, graviore ſuâ ætate & minori diſtantiâ in cauſam adductâ: cæteros verò robuſtiores atque ad concuſſiones maris fortiores *Luzoniam* ſibi deſignaſſe, ibi cum Confratribus atque amicis moraturos. Intereà verò interpres ad tribunal propriæ conſcientiæ velut variarum fraudum reus egregiè vapulabat ut nec ipſe exteriùs diſſimulare agitationis & timoris ſigna poſſet. Neque evaſiſſet ipſe aut ſocius apud Iudices illius Regni ſeveriſſimos caſtigationē rigoroſiſſimā, ſi, quod volebant milites, Religioſi in planā fraudulentiæ declarationem conſenſiſſent. A qua tantùm aberant ut potiùs præſenti eorum metui compaterentur. Præcipua verò, ob quam *Aytaus* eos ad ſe venire juſſiſſet,

cauſa

cauſa erat, ut peregrinas imagines ac libros ſpectaret. Exhibuerunt noſtri magno illius guſtu. qui P. Cuſtodem propius ad ſe, ut earum, quas ipſe maximè mirabatur, explicationem darent, venire voluit. Quod cùm feciſſet Cuſtos ſatisfeciſsetque mirantis ſpectatoris deſiderio, mandavit idem hic, ut ille ex libris legeret, eratque in lectionem non ſolùm ac pronuntiationem mirum in modum intentus, verùm etiam ſtupebat ad conſpectum literarum à ſuis notis veluti hierogliphicis diverſiſſimarum. Tum electione Religioſis permiſsâ, ut qui vellent *Machaum*, qui vellent in *Luzoniam* pergerent, humaniſsimâ oratione dimiſit, ſpondens ſe expediturum licentiæ, qualem & quando vellent, tabellas; decem tamen dies petivit, ut intereà, quod oportebat, Proregis *Aucheani* (a) judicium requireret. Quo accepto his qui *Machaum* cogitarent, mox libera eſſet diſcedendi facultas; illos verò qui *Luzoniam* mallent, mitteret *Chincheum* (b) ut curâ Gubernatoris primâ opportunitate ſolverent.

3. Erat *Aytaus* homo modeſtus humanuſque, & Religioſis, quos ex moribus habituque corporis æſtimare didicerat, compatiens, adeoque ſuprà id, quod ex ærario Regio tribuebatur, porcum, orizam & alia ad alimentum pertinentia addi juſsit. Atque ita illi gaudentes & alacres ad hoſpitium reverſi ſunt; multò verò

(a) *de Aucheo.* (b) *Chincheo.*

rò lætior interpres, qui ſuperatis tantis animi anguſtiis diem iſtum ſibi fuiſſe natalem reputare poterat.

CAPVT XIII.

Franciſcani aliquot diebus Cantone (1) morantur: ad adventum quorumdam Luſitanorum turbantur & timent, verum conventu cum illis habito experiuntur amicos: Pro-rex Aucheanus Cantonem venit, & Franciſcanos cum inſigni commeatu dimittit.

1. IAm decem, quos Aijtaus petiverat, dies effluxerant, & ſupra illos alij aliquot; nec majorem ſui memoriam fieri Franciſcani audiunt, quam ſi nunquam in illis regionibus viſi fuiſſent: non ſine, curâ & timore, ne gubernator ille *Machaonēſis* advertēs technas ſuas, quas tetenderat, jam diſcoopertas, telam aliam ordiretur potentiori manu judicis alicujus, aut alterius cujuſquam.

2. Interim Cantonem veniunt quatuor Luſitani, merces ibi alienas coëmpturi, ſuas diſtracturi, cum ſalvo conductu ut vocant, quo ijs credebatur faciliùs: quamquam non modicè interim gravarentur Patres, quod ſiniſtrè (ut & commonefacti jam inde fuerant) ſuſpicarentur advenæ Luſitani. Sed mox evanuit

(1) *Canton.*

male

male nata ſuſpicio, ubi ex frequentiore congreſſu patuit virorum integritas & ſincera mens, ut non modò jam ipſis contrarij non eſſent, ſed (quod Chriſtianos decebat) benevolè complecterentur, & ſuâ eos ope ac ære adiuuarent. Hac diſperſâ, alia itineris eos cura tenuit: diſtinebantur id temporis judices exercitandis militibus, quorum in re militari induſtriam variè explorabant, laxatione ſclopetorum, emiſſis ad ſcopum ſagittis, vibratis lanceis, exercitatione etiam equeſtri; quos deinde, cognitâ ſingulorum virtute & experientiâ, ad munia militaria deſtinabant, pro meritis cujuſque: hiſce publicis cum ex officio occuparentur, nec de Patrum diſceſſu ageretur, viſum fuit *Aytaum* promiſſi ſui commonefacere, quod ut facilius & brevius fieret facto libello ſupplice, ad illũ (quod jam licebat) ſe contulerunt: euntibus obvius fit Iudex *Tequiſi* ſupra memoratus, qui dato acceſſus ſigno, quid peterent ex Patre Cuſtode didicit, feſtinare nimirum ſe ad propria; ſupplicare proinde *Aytao* ut bonâ ejus gratiâ maturetur diſceſſus: hæc ſeſe præſenti ſupplicâ breviter illi inſinuata velle. Suſcepit *Tequiſi* libellum è veſtigio offerendum, quod & fecit, & *Aytaus* eo lecto ſingularem ſe Patrum curam habere reſpondit, expectari intra paucos admodum dies Proregis mandata, ijs habitis curaturum ſe ut quam citiſſimè fieri poſſet, abi-

rent; quod & accidit aliquot poſt diebus peroportunum plane noſtris; volebat enim Prorex ut honeſtè dimitterentur, ſuppeditatis omnibus ad iter neceſſarijs, ſimulque eodem die intellectum fuit Proregem huc venturum, quæ res inopinâ prorſus & *Aytaum* & Magiſtratus cæteros adeo occupatos tenuit, ut diurnô nocturnoque labore, poſtpoſitâ quiete omni, curarent quæ recipiendo tanto hoſpite digna eſſent, eo ſplendore & majeſtate quâ rex ipſe potuiſſet excipi, excitatis opere ſubitario pegmatis triumphalibus, trophæis, porticibus, cæteriſque hujuſmodi, tanta arte, curioſitate, & pretio, ut vel ijs deſcribendis juſtum volumen poſſet impleri. Elapſis ab adventu Proregis quatuor diebus, de mandato ejus expeditæ & conſignatæ ſingulis fuerunt litteræ patentes; quibus civitatum rectoribus, judicibus cæteriſque in poteſtate conſtitutis iniungebatur, ſollicitè providerent, ut ſine offendiculo dicti Patres deducerentur, alij *Machaum*, ad Philippinas alij inſulas, ſimul ut Centuriones duo, quouſque in tuto conſtitiſſent, præſidij causâ eos comitarentur: illis prætereà qui *Machaum* (iter ordinariè tridui) abibant in quinque dies de neceſſarijs provideretur; *Luzon* verſus (caput ea eſt Philippinarum) navigantibus, curſus eſt vt plurimum quindecim, ad ſummum viginti dierum, alimenta in quadraginta

dies

dies præberi juſſa ſunt; admonitis ſeverè navium rectoribus, ut quâ maximè poſſent curâ, & navigantium commoditate, ad loca deſtinata commiſſos ſibi homines deferrent. Interpretibus (qui peregrinis & linguæ ignaris neceſſarij prorſus erant) *Aytaus* iniunxit, ut vendito navigio quo Patres uſi fuerant, pretium illis conſignarent, de eo diſpoſituris ad libitum. Sub diſceſſum Patris Cuſtodis, militum noſtrorum vnus, mutato conſilio, *Machaum* cum eo petere voluit, & fecit, aſſumpto habitu Luſitanico, neque enim aliter id poterat.

3. Omnibus ad iter diſpoſitis, dictum vtrimque eſt vale, non ſine lachrimis, & tenerrimo religioſæ pietatis ſenſu. R.P. Cuſtos, ut iſmet ſcripſit poſtmodum, intra quatuor dies curſu abſoluto *Machaum* appulit, officiosè exceptus ab Epiſcopo, cæteriſque *Luſitanis*, Prædium etiam obtinuit, in quo ſibi ſuiſque monaſterium poſſet excitare.

4. Patres verò, qui Philippinas repetebant, *Cantone* ſolverunt impoſiti ſplendido & magnifico prorſus navigio, (frequentiſsima ſunt in hoc regno, dexterrimè fabricata, magnâ cum navigantium commoditate, diſtincta in varias contignationes & porticus ad proſpectum & deambulationem, amœniſsimè adornatas) habiti humaniſsimè ab ejus Rectore, at-

que ita iter, in quo plurima notatu digna, capite ſequenti referenda, occurrêre, ingreſsi ſunt.

CAPUT XIV.

Navigant PP. Franciſcani verſus Chincheo, mira itineris amœnitate, ob civitatum, fluviorum, populorumque incredibilem frequentiam.

1. AMne *Cantonenſi* ſuperato, & emenſo medio mari, fere triduo toto, fluvium alium longè majorem intravere itinere quatuor dierum protenſum; dici non poteſt quot urbes pagoſque in amœniſſimâ ripâ utrimque ferat, tam confertim, ut civitas vna videri poſſint. Quarto die jactis anchoris, derepente tanta hominum multitudo, ad extraneos hoſce, & non viſos ante hac ibi homines effuſa eſt, ut non civitatis vnius, ſed vaſti alicujus regni incolæ congregari viderentur, quò iter quod hoſpitium verſus ijs erat quartâ milliaris parte, vix quatuor omnino horis abſoluêre, nimiâ concurrentium turbâ compreſsi. Die vno ibi abſumpto, ſummo mane expeditis equis, itinere eos terreſtri deduxerunt jucundiſſimo ac fere ſemper culto: tertio deinde die ſumpto minori navigio exiguum amnem duabus fere horis enavigantes conſcen-

conſcenſo, tum majori, fluvium qui maris oſtium aliquod videbatur, priori jam memorato quoad urbium & populi frequentiam omnino ſimilem, navigare cœperunt, obuijs hinc inde tot & tantis navibus, ut dictu incredibile videatur, indicium evidentiſſimum magnitudinis fertiliſsimi regni Chinarum.

2. Flumine hoc ſuperato, aliud obvium habuêre, priori quidem anguſtius, ſed rapidius, undiquaque arboribus conſitum, ſic deſuper implexis, ut ſolis radij prohiberentur, ipſique ſub arboreo quaſi fornice navigarent: terra, quamquam alioquin aſpera, tamen tot ferebat urbes muratas, vicoſque incolis refertiſsimos, ut & hic vnius civitatis facies appareret, contingentibus ſeſe vtrimque ſuburbijs.

3. Hinc quatridui rurſum itinere plane eadem terræ facies, quæ ſupra, peregrinantibus ſeſe Patribus obtulit, ac civitatem decem à *Chincheo* milliaria diſtantem attigere, acceptoque in ſuburbanis ejus hoſpitio, tantus hominum factus eſt concurſus, ut cum novi hoſpites, faſtidij & multitudinis vitãdæ cauſâ, domum undique obſeraſſent, avidi nihilominus incolæ extraneos videndi per feneſtras & faſtigia domus irrumpentes ſeſe intromitterent, non ſine damno inquilini, ut is veritus majus aliquid, forte & ruinam, advenis ſupplicaret, ne gravarentur in publi-

cum ſe dare, vicinoſque hortos inambulare, quo populi deſiderio fieret ſatis: acquieverunt libenter, & hoſpitis & populi ſtudio, quod cùm occurrente multitudine aliâ ſemper atque aliâ, mirum in modum increſceret, veritus loci gubernator neſcio quid ſiniſtri, miſſo ad tumultuantem turbam Iudice, omnium quæ agebantur certior fieri, Patreſque noſtros coram videre deſideravit: ſecuti ad gubernatoris mandatum Iudicem, cùm forte vicum quemdam civitatis, qui ad ædes gubernatoris deducebat, pertranſirent, Comœdi quidam curioſiſſimo populo carmina ſua recitantes, hiſtrioniam agebant, & ecce continuo ad adventum & aſpectum noſtrorum, omni populo in novam quaſi comœdiam converſo, ſoli ſine ſpectatoribus ſteterunt in ſcenâ.

4. Intrantes deinde Gubernatoris palatium, hominem in ſummâ majeſtate & famulorum frequentiâ, ſtipatum etiam inſigni militum præſidio invenerunt: dici non poteſt quantâ eos comitate & affectu receperit humaniſſimis interrogationibus, qui, qualeſue, aut unde eſſent? ad quæ interpres ſtatim proviſionē Proregiam, (quæ cauſas itineris eorum habebat) protulit, quâ lectâ ſe, quod deſiderârat, ſcire reſpondit, velle Proregem ut ab omnibus bene haberentur; quare offerre ſe quidquid Peregrinantes vellent expetere, ad

ſervitium preſto eſſe omnia, peterent, imo mandarent quidvis; neque magnificis promiſſis fides aut facta defuerunt.

5. Alterâ collatis à Gubernatore omnibus ad iter neceſſarijs diſcedentes, invenêre têperatiſſimũ populũ quinq; fere milliaria à civitate jam dicta diſtãtem: placuit ibi eâ nocte morari, quòd vno tantum illinc milliario civitatem aliam abeſſe intelligerent, cujus quoque populi, experti recentes labores, moleſtias evitare deſiderabant. Nec hic tamen etiam tuti fuere, ebulliente quaſi ex minimo loco innumerâ gente, quæ more apum in examen conglobata, murmure ſuo incondito, & clamore, interturbatâ peregrinorum quiete noctem eos inſomnem ducere, ac ante lucem feſtinare inde compulit.

6. Modico temporis ſpatio interjecto urbem tenuêre, quæ cæteras, quas huc uſque hoc in regno viderant, & ſitus amœnitate, & ædificiorum elegantiâ ſuperabat, mediam interluit amnis limpidiſſimus, quem plurimi undiquaque pontes jungunt. Hic ſub primum ingreſſum ita eos populus obruit, ut intrare vix poſſent ulterius: cumque in civitate ipſâ eſſent, nec mora nec requies reficiendo corpori acquiri potuit, quòd ſupra modum comprimerentur. Elapſi tandem ex turbâ navigium aliquod vicinum, quo ſub-

ſubducerentur in locum ſuperpendentibus arborum ramis opacum, tot ſimul inſiliêre in ſcapham, ut pondere nimio fatiſcens manifeſto omnes ſubmerſionis periculo exponeret, donec ut & ipſi evaderent, major reſiliret eorum pars, atque ita liberi, ſumpto cibo, noctem illam cum remigibus & nautâ ibi exegêre: illuceſcente dein die priuſquam eis incolæ moleſti fierent adacto remis navigio Dominic ſequentiâ *Chincheo* famoſiſſimam civitatem appulerunt ſextâ Decembris: ſtatimque quo quietiores eſſent, emiſſo ex navi interprete ad Gubernatorem cum litteris Proregis, quid de ſeſe ſtatueretur expectârunt, atque ille lectâ Proregis commendatione, in hunc fere modum reſpondit: gaudere ſe de adventu & ſalute gratiſſimorum hoſpitum, quos tantoperè Prorex commendatos voluiſſet, nihil ſibi carius futurum, quam ut viros videre coram & amplecti poſſet; ſed vereri ſe, pro aviditate gentis ſuæ, ex nimio concurſu moleſtiam iis aliquam inferre, proinde rogatos velle, ut eo, quo vecti fuerant navigio ne exſcenderent, ſed *Aytum* vicinum portum ac inde Philippinas peterent, curaturum ſe interim, ut quam fieri poſſet commodiſſimè, & breviſſimo itinere in Patriam deferrentur: quem in finem Gubernator, retentis litteris Proregis, alias expedivit ad Præfectum dicti portus, quibus ea quæ promiſſa erant, ibi præſtarentur,

rentur.Inceſſerat noſtros cupido videndę civitatis tam nominatæ,magis tamé placuit,omiſſo hoc ſtudio,obedire mãdatis,& poſterâ luce ſummo mane ad portum *Aytim* applicuère, ubi de more, miſſis ad Gubernatoré litteris, ſtatim (magnâ tamé ſemper populi accurrentis importunitate, ad conſpectum & colloquium admiſſi ſunt, nec ante dimiſſi,quam advocato nauclero, qui Philippinas petiturum ſe intra decem dies affirmabat, commendaſſet, atque ita in fidem & curam hujus tranſlati, navigio ejus benignè excepti, ac lautè habiti ſunt.

7. Cæterùm effluxerant dies omnino quindecim, non ſine ingenti moleſtiâ frigoris, neque apparebat facilè adhuc ſolvendum quo fatigatis & Philippinas jam quaſi ex propinquo ſpectãtibus gravius nihil accidere poterat; quare depoſitis apud Gubernatorem querelis, quo ab infido hoc homine expedire eos dignaretur, & in alterius qui iam navigaturus dicebatur, fidem transferre, benignè quidem auditi ipſi, ſed in fraudulentum irâ excandeſcens, amandato ſatellite, hominem ad ſe pertrahi juſſit; quod ad ſtuporem noſtrorum incredibi celeritate peractum eſt, Nauclero præ timore propemodum exanimato. Quærenti Gubernatori, quid fidem fefelliſſet,nec intra ſtatutos dies ſoluiſſet? aerem ventoſque minus faventes cauſa-

tus eſt: quid ergo inquit alter tibi ſimilis *Luzon* meditatur, jam ferè explicatis velis? cum ad hæc nauta titubaret & friuola quædam reponeret, pro mendacio hominem vapulare juſſit, jamque ad flagella nudabatur, cum in genua provoluti Patres, blandè Gubernatori ſupplicarunt, reo offenſam clementer remitteret, quod honori & gratiæ Patrum libenter indulſit, cæterum ijs verbis caſtigatum à ſe dimiſit, quæ, quod ex aſtantium vultu facilè colligi dabatur, quovis flagello ipſi eſſent aſperiora.

8. Citato poſt hæc altero qui jam paratus ad curſum ventos opperiebatur, conſignatis illi quæ noſtros concernebant litteris, ſeveriſſimè mandavit ut quâ poſſet meliori viâ in Philippinas eos tranſportaret, ejuſq; rei inde fidem & teſtimonia huc referret. Nihil erat neceſſe, hominẽ hunc, rei ſupra peractæ probè cõſcium, ad accelerandum iter incitare, urgebat enim feſtinátẽ timor, horrorq; ſimilis eventus ſi forte Patres conquererentur, quare omni poſtpoſitâ morâ, ne quid fortè intercurreret ſiniſtri., expeditis ad navigationem neceſſarijs, inde ſolutum eſt.

CA.

CAPVT XV.

Iactantur navigantes non ſine periculo, aliquot tempeſtatibus; invocant Chinenſes miſsâ ſorte dæmonia ſua: à Religioſis reprehenduntur, & mare tranquillitati redditur, ipſique demum optato portui, ubi omnium ingenti gaudio & alacritate recipiuntur.

1. ALterâ Epiphaniæ Domini navigari cœptum eſt ex hoc portu *Aytimenſi*, aurâ, ventiſque propitijs, adjunctis etiam navigio quo Patres vehebantur, duobus alijs, præſidij causâ: & quamquam utpote hiemali tempore, paucis admodum horis aura faveret, eodem tamen die inſulâ de *Amoy* potiti ſunt, ſex milliaribus à continente diſſitâ.

Abſumpto inibi die vno, cum ſequenti vela feciſſent, ſubitò oborta ingens tempeſtas navigantes inceſſit, ac divulſo hinc inde vi ventorum navigio, præſentiſſimum mortis periculum attulit: quatuor omninò dies tempeſtas hæc eos jactavit, diſperſis in diverſa navibus, quolibet rectore ſcilicet, ut fieri tũ fere ſolet, rerum tantum ſuarum ſatagente. Non ſine Dei beneficio ea quâ noſtri vehebantur in portum ſecurum appulſa eſt, fatigatis ſupra modum nautis, & pau-

 lo

lo poſt altera præſidiaria, ambæ ſic fluctibus onuſtæ, ut ferè haurirentur aquis. Scitum etiam eſt tertiam portum tenuiſſe, quinquaginta ab hoc milliaribus, pari cum periculo & labore. Refectis hic quantum ferebat præſens occaſio navibus aliquot dierum ſpatio, vigeſimâ tertiâ Ianuarij, iterum vela fecerunt, tempore ut videbatur ſatis commodo, ac aëre temperato: quinto die *Luzon* inſulam detexerunt non ſine magna omnium lætitiâ Religioſis præſertim effuſis in gratias & laudes divinas, cujus favore manifeſtiſſimum naufragij periculum evaſerant. Accidit interim, ut paulatim littus legendo quo portum manilæ (caput hæc eſt inſulæ *Luzon*) lucrarentur facilius, flante vehementius Boreâ, immutari cœpta ſit cœli facies, in eum horrorem qui fœdæ tempeſtatis ſuborituræ, prænuntius eſſet: nec diu morata, convulſis illicò vi ventorum rudentibus, ſuperior mali pars dejecta eſt: jamque in fruſta comminuenda navis videbatur, nec aliud ſupererat quam certa mors, adeo illam omnia intentabant.

3. Chinenſes (ut eſt gens ſuperſtitioni admodum dedita) dæmonem trepidi invocare, quaſi Deo ſupplicare, præſentibus ſeſe periculis ereptos vellet, ſimulque modum edoceret quo naufragium evaderent: doluêre Religioſi gentilium cæcitatem, ac ne ad ſortilegia procede-

cederent, impediverunt, ſacris interim Eccleſiæ conjurationibus, & poteſtate à Chriſto Domino traditâ dæmonia torquentes, quo factum eſt ut ad ſtuporem Chinenſium omnino reſponſa non darent quamquam multimodis invocarentur.

Quin neſcio qualiter inſuſurratum eſt à dæmone non imputandam ſibi hanc taciturnitatem, efficere id ſuis conjurationibus Patres eos quos vehebant: cæterum ingruente jam nocte reddita mari malacia eſt, ſed quâ frui vix potuerunt, ſiquidem cùm jam portui appropinquarent, moveri rurſus cœptum eſt mare, atque ita ne fluctibus colliderentur, & in ſyrtes impingerent, altum repetere coacti ſunt.

Iam commeatus defecerat, etiam ipſa aqua, quæ longè dirior futura erat tempeſtas, ventumque eſt eò, ut non haberent, quo nonaginta ſex hominibus, qui eo navigio vehebantur, cibi & potus in duos dies daretur ſatis. converſi ad ſortilegia ſua Chinenſes, dæmonem quàm potuére efficaciſſimè, ſcripto (quod iis eſt infallibile) invocarunt, neque is defuit, fruſtrà piis precibus illud impedire conantibus Religioſis: ſed tamen mendacij pater falſum protulit, aiebat enim intra tres dies portum habituros, cùm non niſi quinto demum terram attigerint, poſtridie Kalendas Februarij anni 1580. excepti Patres ex longo hoc itinere, e-

menſo mari ſuperatis tot periculis, incredibili omniū lætitiâ, erectiſque in novam ſpem cæterorum Religioſorum animis, propitio Deo, in tantam meſſem ituros aliquando operarios, vaſtumque illud Regnum poſtliminio ad fidei Catholicæ lumen deducendum, quod ut mihi ſcopus fuit ſcriptionis, ita & ſumma votorum eſt.

Audiat utinam Deus.

F I N I S.

INDEX
HISTORIÆ MAGNI REGNI
CHINENSIS
PARTIS PRIMÆ
LIBER PRIMVS.

Continens res notabiles illius Regni, quantum ad naturalem diſ-poſitionem ſpectant.

CAPVT PRIMVM.

DEſcriptio Regni, & adſignatio terminorum ejus. Fol. 1.

CAPVT II.

Regni Chinenſis temperies. 5.

CAPVT III.

Regni fertilitas & fructus. 6.

CAPVT IV.

Præcedentis materiæ proſecutio. 9.

CAPVT V.

Regni antiquitas. 12.

CAPVT VI.

Regni Magnitudo, & vſitatæ in illo itinerũ mẽſurationes. 14.

CAPVT VII.

De quindecim Regni Provincijs. 16.

CAPVT VIII.

Singularum Provinciarum civitates & oppida. 17.

CAPVT IX.
Miranda Regni ædificia, muruſque qui latus ejus cingit longus quingentis miliaribus. 20.
CAPVT X.
De ſtatura, facie, Veſtitu & exercitijs Gentis. 24.

LIBER SECVNDVS.

DE INCOLARVM RELIGIONE.

CAPVT PRIMVM.
De Deorum, quos adorant, multitudine: de quibuſdam ibi repertis, quæ ſunt velut quædam Religionis Chriſtianæ veſtigia. 31.
CAPVT II.
Per [illegible] 34.
CAPVT III.
Exigua idolorum apud Chinenſes æſtimatio. 39.
CAPVT IV.
De Sortilegijs, quorum in regno Chinenſi frequentiſsimus eſt vſus, ac modo invocandi dæmonem. 42.
CAPVT V.
Chinenſium de Principio mundi & hominum creatione opinio. 45.
CAPVT VI.
Indubitatam habent animæ immortalitatem, quæ in futura vita caſtigationem aut præmia recipiet factorum quæ egit in vita præſenti. Quomodo pro defunctis orent. 48.
CAPVT VII.
De templis & certo Religioſorum Religioſarumq; genere. 50.
CA-

CAPVT VIII.

L[illegible] ſepeliendi [illegible] [illegible]

CAPVT IX.

Matrimoniorum ritus. [illegible]

CAPVT X.

Nullus in toto Chinæ regno in plateis aut templis egenus vagatur: Modus quo Regis juſſu providetur impotentibus ad laborem [illegible]

LIBER TERTIVS

DE STATV CHINENSIVM POLITICO

CAPVT PRIMVM.

DE R[illegible] [illegible]

CAPVT II.

Regis Chinenſis palatium: Civitas in qua ordinariam fixit ſedem. Nullus ibi Dominus ſubditos habet hæreditariè ſibi ſubjectos. 7[illegible]

CAPVT III.

Soluentium tributa in ſingulis Provincijs numerus. 80.

CAPVT IV.

Tributum quod ex omnibus Provincijs Rex accipit. 82.

CAPVT V.

Milites in quindecim Provincijs ad bella ſemper parati & eorum ad excubias Vigilantia. 86.

CAPVT VI.

Militum in ſingulis Provincijs numerus. 91.

CAPVT VII.

Lex vetans proferre extra regni terminos bella, ac ex eo egredi & exteros ab introitu ſecludens. 94

CAPVT VIII.

Regium Concilium: quomodo ſingulis menſibus ad Regem deferatur quidquid in regno agitur. 99

CAPVT IX.

Præſides & Regij in Provincijs Miniſtri. Regiminis modus. 104.

CAPVT X.

Præcedentis materiæ proſecutio: Iudiciorum forma. 109

CAPVT XI.

Viſitatores ad indagandam Iudicum vitam annuè à Rege miſſi: culpabilium Iudicum pœnæ. 116

CAPVT XII.

Carceres, quibus utuntur, & extrema Malefactorum ſupplicia. 119

CAPVT XIII.

Chinenſium litteræ ſtudia, ſcholæ aliaque quædam curioſa. 124

CAPVT XIV.

Gradus Loytias ſuſceptororum examina ; graduum forma: deductionis per civitatem ſolemnitas. 128

CAPVT XV.

Multis priùs, quam in Europa annis fuit in China vſus tormentorum bellicorum. 133

CAPVT XVI.

Etiam prælo impreſſorio priùs vſi Chinenſes quàm Europæi. 135

CAPVT XVII.

Libri, quos ex China Rev. P. Martinus de Herrada ac ſocij

adve-

adverxerunt: eorum ſubjecta. 138

CAPVT XVIII.

Chinenſium convivia & feſtivitates. 142.

CAPVT XIX.

Mutuæ Chinenſium ſalutationes. 146

CAPVT XX.

Mulierum Chinenſium ſolitudo: tum quibus conditionibus permittantur meretrices. 149.

CAPVT XXI.

Navium tam in mari quàm fluminibus, quæ multa ſunt & ingentia forma. Piſcium in totum annum præparatio. 154

CAPVT XXII.

Induſtrius non magis quàm viſu iucundus educandorum magnâ copiâ anatum & piſcationis apud Chinenſes modus. 158.

CAPVT XXIII.

Humanitas Legatis Regum, Principum, & Rerumpublic. à Rege Chinæ exhiberi ſolita. 161.

CAPVT XXIV.

Legatio Regis Hiſpaniarum ad Chinæ Regem: ejus cauſæ & dilatio. 167.

PARS SECVNDA HISTORIÆ CHINENSIS LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

Mexico in Inſulas Philippinas tranſeunt Hiſpani, ibique magni Chinenſis Regni notitiam accipiunt. 5.

CAPVT II.

Limahon Chinenſis regni pirata auctus potentiâ viribuſque in mari Vintoquiam ejuſdem regni piratam vincit. 7

CAPVT III.

Claſsis contra Limahon in China paratur; ipſe Tonzoacaotlcan declinat, ibique rerum quæ in Inſulis Philippinis geruntur certior redditur. 10.

CAPVT IV.

Limahon Inſulas Philippinas invadit, pervenitque ad civitatem Manilam. 12.

CAPVT V.

Quadringentis militibus à Limahone ad comburendam Manilam præmiſsis ab Hiſpanis reſiſtitur. 14.

CAPVT VI.

Munit ſe contra tam propinquum Chinenſium inſultum Manilæ Præfectus, repellitque. Limahon terras, quæ Pangaſinan irrigantur in receſſu occupat.

C A-

CAPVT VII.
Ioannes de Salſedo Mariſchallus adverſus Limahonem tendit: incendit ejus claſſem, eumque tribus menſibus obſidet in fortalitio, ex quo Limahon mirâ induſtriâ evaſit. 19
CAPVT VIII.
Omoncon claſſis regiæ Chinenſis Præfectus Limahonem piratam perſequitur, ac noſtris Hiſpanis occurrit. 24
CAPVT IX.
Mariſchallus in caſtris, præfectus Philippinarum, Manilæ humaniſſimè hunc Omonconem recipiunt: agitur de Patribus Auguſtinianis in Chinam introducendis. 27
CAPVT X.
Omoncon cum nuntio obſidionis, qua Limahon arctiſſimè ab Hiſpanis premebatur, in Chinam revertitur ſecum ducens Auguſtinianos. 32
CAPVT XI.
Solvunt è portu Bulliano cum Omoncone Auguſtiniani, perveniuntque in Chinam. 37
CAPVT XII.
Omoncon ad Provinciam Chinchæo appellit; quædam ejus, antequam in terram aſcendat, cum altero Centurione velitatio. 40
CAPVT XIII.
Omoncon & Hiſpani in portum Tanſuſo exſcendunt, & juſſu Præfecti Chinchæenſis à Prætore humaniſſimè recipiuntur, 46
CAPVT XIV.
Diſcedunt noſtri ex portu Tanſuſo Chincheum, vt illius loci Præfectum, à quo exſpectabantur, viſerent, videntque in itinere res notatu dignas. 53

CAPVT XV.

Iter Chinchæum Hiſpani proſequuntur, videntque rara. 59.

CAPVT XVI.

Perveniunt Auguſtiniani ad civitatem Chinchæo, benignè-que recipiuntur: narrantur quædam de rebus illius civitatis curioſa. 65.

CAPVT XVII.

Hiſpani à præfecto Chinchæenſi vocati ad eum vadunt: curat illis indicari ceremonias quas ſervare, venientes ad alloquium, debebant. 66.

CAPVT XVIII.

Audiuntur ab Inſuanto Chinchæenſi, illique litteras, quas ex Inſulis Philippinis attulerant, porrigunt. 70.

CAPVT XIX.

Viſitant Hiſpanos præcipui Chinchæenſium: Inſuantus Petrum Sarmiento, & Michaelem de Loarcha ad ſe vocat, inquiritque ſtudioſè de Limahone. 73.

CAPVT XX.

Inſuantus convivium inſtruit Hiſpanis, monetque ut ad craſtini diei iter ſe præparent, exſpectari illos à Pro-rege Auchæenſi. 76.

CAPVT XXI.

Chinchæo diſcedunt Auchæum, ubi eos Pro-rex exſpectabat. 79.

CAPVT XXII.

Hiſpanorum in civitatem Auchæenſem introitus & receptio, 83

CAPVT XXIII.

Audiuntur à Pro-rege: & nonnullos præcipuos Miniſtros viſitant, 87.

CAPVT XXIV.

Pro-rex celebri convivio duobus continuis diebus noſtros excipit, 93.

CAPVT XXV.

Offerunt Pro-regi munera à Præfecto Manilenſi & Mariſcallo miſſa, quæ per manus Omonconis recepta ad regem ſigillata mittit: prohibet noſtris egredi è domo, & luſtrare civitatem: aliaque nonnulla tractantur. 95.

CAPVT XXVI.

Noſtri, ut Pro-regi loquantur, vadunt: id non permiſſi epiſtolam ſcribunt, cui Pro-rex per verba reſpondet. Aliæ res admodum particulares. 100.

CAPVT XXVII.

Nuntia Aucbæum deferuntur magna in finitimis Chincbæi damna à quodam pirata inferri, oppidumque integrum ab eo fuiſſe deſtructum. Suſpicatur Pro-rex iſta à Limahone fieri, & neque Noſtros, neque Omonconem Sinſayumve veritatem aperuiſſe. 104.

CAPVT. XXVIII.

In conventu Præfectorum Provinciæ decernitur, ut ad ſuos noſtri redeant. 107

CAPVT XXIX.

Noſtri Aucheo diſcedunt, Chinchæum venientes iubentur Inſuanti imperio ſine morâ iter ad portum Tanſuſo proſequi: ipſe illuc venit, & novis honoribus eſt proſecutus. 115.

CAPVT XXX.

Noſtri ex portu Tanſuſo ſoluunt, quotidie novarum Inſularum portibus illabantur: res ab ijs in illis viſa. 120.

CAPVT XXXI.

Redduntur certiores fugiſſe Limahonem, eſſeque in vicina Inſula: opinionibus diſceptatur, ſitne in ea oppugnandus, an non; prævalet negativa: iter proſequuntur, perveniuntque Manilam. 123.

CAPVT XXXII.

Chinenſes cum Noſtris Manilam pertingunt, quos Præfectus Manilæ, cæterique magnâ lætitiâ pompâque excipiunt aliquot diebus: poſt quos in Chinam revertuntur non perfunctoriè de multis fidei Catholicæ articulis inſtructi, & proni ad eam recipiendam. 128

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

PAtrum Franciſcanorum in Inſulas Philippinas adventus eorumque deſiderium tranſmittendi in regnum Chinenſe ad Evangelium illis gentibus annuntiandum. 136

CAPVT II.

Patres Franciſcani comiteſque è portu Illocos ſolvunt, magnis tempeſtatibus jactantur, ex quibus in Deo confiſi eripiuntur pertinguntque miraculosè ad Chinæ regnum, 143.

CAPVT III.

Franciſcani ac Socij ad civitatem Canton pertingunt pro deſiderij adimpletione gratias Deo agunt: viſitantur à Iudice, cum quo prolixo ſermone diſcurrunt. 152

CAPVT IV.

In civitatem admiſſi Sacrum in ædibus Chinenſis Chriſtiani dicunt: alia nonnulla quæ ipſis acciderunt. 163

CAPVT V.

Vocantur ad Iudicem, ab illo examinantur, ille in eorum favorem ſcribit ad Pro-regem, qui eorum cauſam Aytao diſquirendam committit, apud quem à Præfecto Machaonenſi tamquam exploratores traducuntur, aliaque curioſa. 165.

C A-

CAPVT VI.
Patres Franciſcani neceſſitate compulſi plateatim ſtipem petunt: defertur id ad Præfectum civitatis: is Regis expenſis eos ſuſtentari curat: interpres ſolitâ avaritiâ & fraude agit: ducuntur ad Iudices, hi ad Pro-regem ſcribunt, a quo Auchæum vocantur. 175

CAPVT VII.
Proficiſcuntur Auchæum, quæ in itinere viderunt, quæque contigerunt, narrantur. 179

CAPVT VIII.
Intrant ad Pro-regem qui illos nonnulla interrogat ac ad Locum-tenentem ſuum (ipſi Timpintao vocant) remittit: à quo benignè recipiuntur. 184

CAPVT IX.
Aliquot diebus Auchei morantur: aulæ præcipuos viſitant, nominatim Præfectum maris: qui lapidis Iaſpidis deſiderio incenditur, eumque varijs modis conſequi laborat. 189.

CAPVT X.
Vocat illos Timpintao: qui datis litteris facultatem addit eundi in civitatem Canton, vbi jubentur ſe diſponere vt è regno excedant. 195

CAPVT XI.
Mittit P. Cuſtos nuntium Machaum; Epiſcopo atque alteri Eccleſiaſtico ſcribit pro ſumptuum ad diſceſſum ſubminiſtratione: cujus rei Centurio Major certior factus eoſdem rogat, ne vllum favorem aut ſubſidium Franciſcanis præſtent: atque alia quædam obſtacula ijſdem ab illo injecta. 199.

CAPVT XII.
Luſitanus quidam mali hujus propoſiti notitiam adipiſcitur;

Franciſcanis per tabellas indicat; hi periculo proximi remedium adhibent. Vocantur ad Aytao civitatis, narratur quid apud illum acciderit, & circa facultatem quam dedit, vt aliqui Machaum, alij in Luzoniam proficiſcerentur. 201.

CAPVT XIII.

Franciſcani aliquot diebus Cantone morantur ad adventum quorundam Luſitanorum turbantur & timent, verum conventu cum illis habito experiuntur amicos: Prorex Auchæanus Cantonem venit, & Franciſcanos cum inſigni commeatu dimittit. 208

CAPVT XIV.

Navigant PP. Franciſcani verſus Chincheo, mira itineris amænitate, ob civitatum fluviorum populorumque incredibilem frequentiam. 212

CAPVT XV.

Iactantur navigantes non ſine periculo, aliquot tempeſtatibus: invocant miſſâ ſorte dæmonia: à Religioſis reprehenduntur, & mare tranquillitati redditur, ipſi demum optato portui, vbi omnium Ingenti gaudio & alacritate recipiuntur. 219

FINIS.

APPRO-

APPROBATIO CENSORIS.

HIſtoriam hanc Regni Chinenſis diligenter perlegi, adeoque teſtor nihil fidei aut bonis moribus contrarium continere, ſed fore ejus lectionem perutilem ſingulis. Actum Antuerp. 7. Febr. 1654.

Theod. Voochts *Can. &*
Archipreſbyter Antuerpienſis.

CENSVRA.

IVxta *commiſſionem mihi factam ab Adm. R.P.M.Provinciali noſtro, legi* Hiſtoriam hanc Chinenſem *compoſitam per* P.M.Ioan.de Mendoza, *tranſlatam verò ex Hiſpana in linguam Latinam per* P.M. Ioachimum Brulium *S.T.D. Ord.Er. S. Auguſtini Religioſos, & dignam cenſui, quæ ob materiæ varietatem & oblectamen omnium oculis obijciatur. Act. Antuerp. Cal.Martij* 1654.

F. Ioan.de Baussele Prior ad
S.Auguſt.Antuerp.

Facultas R. Admod. P. M. Provincialis Provinciæ Colon. ſeu Belgicæ.

PLacet ut typis mandetur *Hiſtoria magni Regni Chinenſis*, quam olim Hiſpanicè conſcripſit P. M. IOAN. DE MENDOZA, nunc verò latio donavit *P. M. Ioachimus Brulius* nuper in Belgio Provincialis. Sign. Antuerpiæ in S. Auguſt. 11. Auguſti 1654.

FR. IGNATIUS DYCKERUS *Prior-Provincialis Prov. Colonienſ.*

901 AG7531 S

Digitized by Google

K. 219.

LVII
G 46

Digitized by Google